



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

Liber XCVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER XCVII.



URBANUS V, DEIN GREGORIUS XI, TUM
URBANUS VI, SUMMI PONTIFICES.
CAROLUS IV, POSTMODUM WENCESLAUS
OCCIDENTIS, JOANNES PALÆOLOGUS
ORIENTIS IMPERATORES.

§. I.

Papa venit in Italiam.

Papa Urbanus V promisso fideliter ste- **Sæcul. XIV.**
tit suo. Ultimo Aprilis anno 1367 **A.C. 1367.**
Avenione profectus Pontem Sorgiæ
duas ibi noctes egit: inde Massiliam de- **Vitæ p. 276**
lato in S. Victoris cœnobio, cujus Abbas **996.**
fuerat,

O 4

fuerat,

Sæcul. XIV
A. C. 1267
*Transit to. 2.
p. 68.*

fuerat, diversari placuit. Ætate labefactum antea, & ruinam minitans, postquam Papa evaserat, reparandum, murisque ac turribus altis circummunendum curavit, magnisque privilegiis, reliquiis, & ornamentis pretiosis impertiit.

Ed. p. 997.

Duodecimo Maji Massiliæ adhuc commorans sacra purpura donavit Guilielmum Acrifolium Cardinalis pariter sic nominati nepotem, Equitis Ademari filium. Didicerat Tolosæ litteras: ubi anno 1365 Juris pontificii Doctor creatus, postea Sacræ Sedis Notarii dignitatem obtinuit, quæ functione carebat, & quam Summi Præfules conferebant iis, quos volebant promotos. Multi mirabantur petasum rubrum Guilielmo impositum: nam etsi jam Sacerdos, nondum octo & viginti annos natus erat. Papa videbatur id fecisse in gratiam senioris Cardinalis Acrifolii, quicum familiarem amicitiam in minore honoris gradu coluerat; & qui credebatur ejus adjutor præcipuus fuisse ad conscendendam sedem Apostolicam. Non tamen deerant novo Cardinali dotes egregiæ. Bene se gesserat in litterarum curriculo; & magnam existimationem collegerat: doctissimos inter juvenes numerabatur: denique concinna corporis magnitudine, ac præclarioris specie pollebat. Renunciatus est
Cardi-

Cardinalis Presbyter de S. Stephano in monte Caelio. Sæcul XIV.
A.C. 1367.

Decimo nono Maji Urbanus Massilia discessit cum classe triremium vigintitrium, aliarumque navium, quas ei magnifice adornaverant Regina Neapolis Joanna, Veneti, Genuenses, ac Pisani. Triremis Veneta erat, quam inscendit Papa. Sequebantur eum in hoc itinere cuncti Cardinales; quinque si excipias, Ægidium Albornium jam versantem in Italia, & quatuor hærentes Avenione, scilicet Raymundum Canillacium, Petrum Montrucium, Petrum Iterium, & Joannem Blandiacium.

Die Dominica 23 Maji Urbanus advenit Genuam: ubi tam in portu, quam in urbe a Duce atque civibus pro dignitate sua exceptus, quia hebdomas rogationum erat, quinque dies substitit. Divertit apud Equites Rhodios, quorum in templo rem divinam solenniter fecit anniversario die Ascensionis Domini 27 mensis. Postero die Veneris Cardinali Marco Viterbino, qui controversias inter Barnabam Pro-Comitem, ac Genuam sedaret, ibi relicto, Portum Veneris delatus triduo hic mansit. Die Martis 1 Junii portum Pisanum, postridie Plumbinum, die Jovis Castrum Novum attigit, ubi quinque dies agebat.

Sæcul. XIV

A.C. 1367.

Excendentem venerabatur suus in locis illis Legatus Cardinalis Ægidius Albornius cum omnibus fere Optimatibus territorii Ecclesiastici, in quo situm est Castrum Novum. Stabant in littore tentoria e textis sericis, ac frondibus aspectu jucundissimis. Stabat inibi altare, ubi Papa post quietem modicam coram se peragi sacrificium solemne voluit. Tum conscenso equo petiit Castrum Novum. Hora prandii divertit ad Fratres Minores, quibuscum mansit usque ad secundam Pentecostes diem. Prima, quæ erat sexta Junii, solenniter confecit sacrum: eodemque in loco aures præbuit Legatis, Romanorum nomine plenum urbis dominium, & claves castelli S. Angeli, quod antea tenebant, sibi offerentibus. Die Mercurii 9 Junii Viterbium venit: ubi magno acceptus gaudio menses quatuor permansit. Illic audit gratulantes adventum sibi suum Cardinales se itinere terrestri secutos, cunctos Proceres, Præsulesque, ac Oratores urbium Italiæ.

§. II.

Jesuatarum societas.

Ferrar. 31.
Jul. Heliot.

Ibidem ratum habuit Jesuatarum institutum novum a Joanne Columbino conditum. Senis nobili ortus genere primaria

ria urbis munera, quin etiam vexillum Sæcul. XIV.
 gessit: sed avaritia laborabat, in sua A.C. 1267.
 commoda, & omnes ditescendi modos Hist. Ord.
 intentus. Quodam die de curia rever- rel. to. 3. c. 55.
 sus domum, cum paratum non videret
 prandium, excanduit in uxorem suam;
 quæ ut moræ patientem redderet, vitas
 Sanctorum legendas ei porrexit. In pri-
 mo iræ motu librum abjecit in pavimen-
 tum; factus deinde mitior ac subleva-
 tum codicem aperiens incidit in vitam
 S. Mariæ Ægyptiacæ; atque inter le-
 gendum adeo est commotus, ut illico
 statueret mutare suum vivendi genus;
 fluebat tum annus 1355. Cœpit igitur
 largam erogare stipem, frequentare tem-
 pla, calidas ad Cœlum preces mittere,
 gulæ ventrique bellum inferre. Con-
 jugi a longo tempore oranti Deum, ut i-
 psum ad bonam frugem reduceret, per-
 suasit continentiam. Cubabat in asseri-
 bus, gestabat cilicium, cædebat se flagel-
 lis, ac vilem ferebat vestem. Ædes
 suas convertit in publicum hospitium
 peregrinorum, ac ægrotantium, quibus
 ipse serviebat.

Filium habebat & filiam: qua inter
 sacras Deo Virgines recepta, illoque mor-
 tuo Joannes consentiente conjuge omnia
 bona sua pauperibus largitus se ad in-
 citas redegit cum adhærente sibi alio
 Nobili Senensi Francisco Vincentio. Ob-
 ibant

Sæcul. XIV.
A.C. 1367.

ibant urbēs & pagos Hetruriæ, atque ad noxas æquis pœnis expiandas hortabantur. Ita Columbinus discipulos ad sexaginta collegit, quibuscum Papam Urbanum adiit. Viterbii aliquamdiu comorati, cum eum ad Castrum Novum exscensurum scirent, ad hujus portum venerunt in vestibus nullius pretii, quibus panniculos assuerant, nudis pedibus, solumque sertum oleaginum in suo quisque vertice gerebant. Cum pedem Papa in terra poneret, exclamabant: Laudetur JESUS Christus; & vivat sanctissimus Pater!

Papa benigne acceptis dixit se daturum vestes; sed tegmine capitis, & ligneis saltem sandaliis uterentur. Sequebantur eum usque Viterbium: ubi accusabantur, quasi essent Fratricelli. Ergo Urbanus Cardinalem Guilielmum Sudrium Episcopum Massiliensem eorum doctrinam discutere jussit: cumque innocentiam probassent suam; institutum solenniter confirmans, eis quam gestarent, vestem suis præbebat manibus. Erat alba tunica cum simili tegmine capitis, & pallio ferrugineo. Jesuatas vocabat eos populus, quippe quibus frequens in ore JESU nomen esset: ac regulam S. Augustini postea coluere. Joannes Columbinus Senas rediens morbo in itinere extinctus est die sabbati postremo Julii
anno

anno 1367. Etsi rite non relatum inter Sæcul.XIV.
 Cælites Gregorius XIII Martyrologio Ro- A.C.1367.
 mano inferi voluit. Societatem, postquam
 annos trecentos steterat, denique suppressit
 Clemens IX 6 Dec. an. 1668. Mart. Rom.
 21. Jul.
 Bullar. Cl.

Papa Urbanus magnos sperabat fru- IX.const.30.
 ctus ex documentis ac obsequiis Cardi- Vit. Urb.
 nalis Ægidii Alvari Albornii Episcopi Sa- p.378.
 binensis: sed hic Viterbii 24 Aug. vive-
 re desiit post legationem in Italia quatuor-
 decim fere annis obitam, multasque
 urbes partim amicis pactationibus, partim
 armorum vi ad officium reductas. E-
 rat Præsul virtute, doctrina, excelitate
 animi, miraque in rebus gerendis pru-
 dentia conspicuus, ita, ut plerisque I-
 talis in amore, reliquis saltem terrori es-
 set. Bononiæ pro pauperibus litterarum
 studiosis popularibus suis, nempe Hispa-
 nis collegium condidit.

§. III.

Tumultus Viterbiensis.

Quinto Septembris anno 1367 Viter- Vit. to.1. p.
 bii turbas ingentes excitavit rixa 379.420.10.
 privata inter domesticum Cardinalis cu- 13.
 jusdam, & civem urbis ob petulantiam to.2.p.769.
 commissam ad fontem salientem. Cœ- Cont. Nang.
 ptus per urbem clamor: Vivat populus! p.916.
 pereat Ecclesia! Populus arripuit arma
 contra familias Cardinalium, hosque ipsos
 male

Sæcul. XIV. male habuit; inter alios Cardinalem
A.C. 1367 Vabrensem Guilielmum Bragofum ad
 ædes Papæ sine pileo profugum; & Car-
 dinalem Carcaffonensem, qui Fratris Mi-
 noris personam induit. Cardinales reli-
 qui exceptis Italis fere omnes perfuge-
 runt in Papæ palatium, ubi per triduum,
 quo durabat tumultus, hærebant: Pa-
 pæ ipsius vitam appetere dicebantur se-
 ditiosi.

Quapropter copias contra urbem ad-
 ventare voluit. Tum vero cives agniti
 delicti sui veniam flagitare; se arbitrio
 Papæ submittere; in signum suæ poeni-
 tentiæ omnia urbis arma, & catenas,
 quibus plateas clauferant, in ejus pala-
 tium deferre. Præterea in locis, ubi tu-
 multus inceptus, & ubi violentissimus
 fuerat, erexere patibula, in quibus su-
 spenderunt nocentissimos, nimirum quin-
 que ante domicilium Cardinalis Car-
 caffonensis Idibus Septembribus; & duos
 alio die ante portam Cardinalis Vabren-
 sis. Cæteris parcebat Papa, cum quas-
 dam domos munitas destrui jussisset. Sic
 restituta fuit tranquillitas.

§. IV.

Concilium Eboracense.

In Anglia Joannes Thursbius Archiepi-
 scopus Eboracensis, antea regni Can-
 cellarius

cellarius Thorpii prope Eboracum suis
 cum Suffraganeis concilium provinciale
 habuit; finitque 29 Sept. an. 1367. De-
 cem ibi canones edebantur. Dominicis,
 festisque diebus in cœmeteriis non exer-
 ceantur mercatus, nec judicia, vel lucta-
 tiones, aut similes ludi. Ex occasione
 vigiliarum precumque pro mortuis noctu
 non detur opera ludis, nugisve aliis in
 privatis domibus, nedum in templis. Ob-
 servetur sanctio Archiepiscopi Guilielmi
 Zuchii proximi antecessoris nostri, Paro-
 chis, cæterisque Sacerdotibus annua sta-
 tuentis stipendia. Non impediatur per-
 ceptio decimarum, quippe divino ex jure
 debita. Clericorum vestes saltem ad me-
 dia crura pertineant. Causas matrimo-
 nii cognoscant idonei tantum Viri, Juris
 periti, & in hoc causarum genere exer-
 citati. Nempe frequenter eas indoctis
 hominibus committebant Archidiaconi,
 aliique Judices inferiores.

Sæcul. XIV.

A. C. 1367.

to. II. Cone.

p. 248a.

cap. I.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

c. 7.

c. 8.

§. V.

Papa Romam intrat.

Urbanus V denique Romam advenit,
 & cum duobus millibus armatorum
 intravit die sabbati 16 Octobris 1367 an-
 no Christi, sexagesimo autem tertio post
 Benedicti XI discessum & mortem Peru-
 siae

Vita to. 2.

c. 779.

sua

Sæcul. XIV. *fiæ obitam.* Effusi obviam Clerus, &
 A.C. 1367. *populus Urbanum solemnè pompa & in-*
genti gaudio excipiebant inter Dei lau-
des mittentis sibi pastorem suum. Qui
peractis in S. Petri templo suis precibus,
ac sedis pontificiæ possessione de more
capta transit in palatium contiguum,
nempe Vaticanum, ex vetustate, ac pri-
vatione incolarum pæne corruens: quod
magnifice reparandum saltem secundum
tecta curavit.

Die Dominica 31 Octobris primum
 sacrificium solenni ritu confecit in ara
 S. Petri, ubi nullum erat factum a tem-
 pore Bonifacii VIII. Tunc Urbanus, Sint
 Deo laudes, inquiebat, quod dederit, ut
 votum persolvere meum potuerim. Sim-
 ul in Episcopum Sabinensem inaugura-
 vit Cardinalem Guilielmum Acrifolium
 seniore, quem jam pridem nominave-
 rat Archiepiscopum Cæsaraugustanum,
 sed consecrari non jusserat. Hunc dein
 Cardinalem in regnum Neapolitanum
 misit, ubi sedaret dissidia, & bella inter
 Principem Tarenti, & Ducem Andriæ
 commota. Brevi etiam post suum Romæ
 ingressum Anglicum Grimoardum fra-
 trem suum, quem jam creaverat Cardi-
 nalem Episcopum Albanensem, pro gu-
 bernando territorio Ecclesiastico consti-
 tuit suum Vicarium Generalem, ac Bona-
 niam, ubi resideret, misit.

Viterbio

Viterbio nondum abierat Papa, cum
 Imperatoris Græci Joannis Palæologi
 Legatos octo accepit; quos ducebant
 Paulus Constantinopolitanus Patriarcha
 Latinus Petri Thomæ successor, & Ame-
 deus Sabaudiaë Comes Palæologi avun-
 culus. Veniebant nomine Imperatoris,
 Præfulum, Cleri, Ordinis Nobilium, &
 populi Græciæ ad sinum Ecclesiæ Ro-
 manæ redire, ut aiebant, cupientium.
 Quo fine se mense Majo Sacram aditu-
 rum Sedem spondebat Palæologus: &
 Papa iter ei facilius ut redderet, Reginaë
 Joannæ, cæterisque Principibus, quorum
 terras ille transiturus erat, hac super re
 scripsit, sicut etiam Imperatrici Hele-
 næ, patri hujus Joanni Cantacuzeno,
 Philotheo Constantinopolis, Nifoni Ale-
 xandriæ, & Lazaro Hierosolymæ Pa-
 triarchis, quos promovere concordiam
 posse putabat. Has epistolas omnes da-
 bat 6 Nov. 1367. Sub finem ejusdem
 anni præcepit Archiepiscopis Neapolita-
 no & Brundusino, cunctos ut Episcopos,
 Abbates, cæterosque Præfules Neapolim
 æquo sæpius venientes, ibique nimium
 diu commorantes residere propriis in dice-
 cesibus ac Ecclesiis juberent; atque Re-
 ligiosos eandem aulam frequentantes in
 ipsorum monasteria remitterent.

sæcul. XIV.

A.C. 1367.

Kagn. 1367.

n. 7.

Sæcul. XIV.
A. C. 1368.

§. VI.

Capita SS. Petri, & Pauli.

*Vita to. 2.
p. 770.
to. 1. p. 381.*

Secundo Martii anno 1368 Papa Urbanus in palatio Lateranensi pernoctavit: & postridie rem divinam egit in sacello, quod vocabant Sancta Sanctorum: unde deprompsit SS. Petri & Pauli capita ibi dudum clausa sub altari. Ipse prehensum S. Petri caput, Cardinalis Urgellerensis alterum S. Pauli detulerunt in conclave ad plateam spectans: & illic utrumque omni populo commonstrans Papa præsentium cuivis concessit indulgentiam centum annorum, ac centies quadraginta dierum. Apostolorum capita argenteis quidem, sed non magni pretii capsis inclusa erant: nova pro eis opera Urbanus confici curavit, quæ altero demum anno sunt absoluta. Ad Vaticanum equo sublimis rediit non per ambages, sicut quidam antecessores fecerant, sed recta via, ut evitaret locum, ubi Papissam Joannem peperisse ajebant. Quod indicat huic fabulæ tunc fidem abrogari coeptam esse.

*Boll. 29.
Jun. to. 22.
p. 442.
Vit. PP.
p. 390.*

Opera, quæ Papa pro capitibus Apostolorum fieri jussit, sunt argenteæ statuæ pectore tenus effictæ cum suis brachiis, æstimabiliores a caritate materiæ, ac ornamentum.

amentorum, quam ab elegantia artificii, Sæcul. XIV.
A. C. 1368.
quod demonstrat corruptum sensum sui
sæculi, & quales huic res arriserint. S.
Petrus ibi exhibetur amictus ut Papa, &
tali redimitus tiara, qualis tunc gereba-
tur, ad modum conii acuta, & tribus
onusta coronis: sublata dextera signum
crucis expressurus videtur, ut populo be-
nedicat: læva fert geminas claves ma-
gnas. S. Paulus gladium dextra, librum
sinistra tenet. Utriusque statuæ pectus
decorat lilium ex gemmis donum Caroli
V Gallorum Regis. Duo hæc opera mi-
nimum tricies mille florenos aureos va-
lere dicebantur.

Eodem mense Martio an. 1368. Re- Vitæ c. 1.
p. 381.
to. 1. p. 770.
gina Neapolis Joanna Romam ad Papam
venit: ac Rex Cypri Petrus Lusinianensis
cum filio suo eodem tempore ibi aderat.
Quarta jejunii verni Dominica Papa pro
more rosam auream consecravit dandam
personæ in aula sua spectatissimæ. Tra-
didit Reginæ: & Cardinalibus quibus-
dam eam Cyprio Regi, ac hujus filio præ-
latam improbantibus, Nolite hoc mirari,
ajebat: nec enim magis mirum est,
quam Abbatis Massiliensis electio in
Papam.

Is Rex Cyprius belli sacri studio tam Rayn. 1367.
n. 14.
incensus non ideo puriorem agebat vi-
tam: sic docet epistola Papæ 5 Dec. an.
1367 data, in qua hunc ad Principem ait:

P 2

Cum

Secul. XIV. Cum horrore audivimus te conjugii tuæ
A.C. 1368. illustri profapia, & amoenis moribus con-
 spicuae remisisse nuncium, ut adulteram
 publice foveres. Qua ratione præter
 offensam Dei populum affligis tuum cu-
 pientem stirpis regiae incrementum; &
 Christiani nominis hostes exhilaras laces-
 sando Numen tibi relatas de ipsis victo-
 rias impertitum. Simul Raymundo Ni-
 colis Archiepiscopo scripsit, ut illum a
 re tam indigna, & a singulari certamine
 cum Florimundo Spartæ, seu Misithræ
 Domino pro viribus avocaret. Rex Cy-
 prius Roma reversus domum sequente
 anno 1369 fratrum suorum iræ victima
 cecidit.

Id. 1369. n. 7.
Vita PP.
p. 386.

§. VII.

Concilium Vaurense.

Sup. lib. 96.
§. 49. Petrus Jugius Narbonensis Archiepis-
 copus hoc anno 1368 suum concilium provinciale habuit, ut exequeretur
 mandatum Papæ 25 Nov. 1364 editum. Id concilium fuit celebratum Vauri, &
 collectum ex tribus provinciis Narbonen-
 si, Tolosana, & Auscensi. Tredecim ei
 Præsules intererant ipsi, nempe duo Ar-
 chiepiscopi Narbonensis, & Tolosanus, at-
 que Bliteræ, Carcassonis Alectæ, Vauri,
to. II. Conc.
p. 1975. Apamiæ, Lombariæ, Convenarum, Tar-
 bæ

bæ, Vafati, Eloronæ, ac Lafcurre Episcopi. Aufcitanus cunctique reliqui Antistites suos illuc Procuratores miserunt. Tolofanus erat Godefridus Verolius ex nobili familia Cadurcensis agri, antea Carcaffonenfis Episcopus, Tolofam ab Innocentio VI translatus anno 1361. Hoc in concilio condebatur grande sanctorum corpus e centum triginta tribus membris constans, quorum pars magna deprompta fuit e conciliis Avenione habitis tum anno 1326, tum 1337. Membrum primum est catechismus, seu exemplar institutionis Parochis commonstrans prima sanctorum doctrinæ capita tradenda populis.

In reliquis noto ea, quæ sequuntur: Religiosi Mendicantes non transeant alios ad Ordines, ut beneficia, vel pensiones accipiant. Sacerdoti rem divinam peragenti non ministret suus filius nothus. Parochus in templo suo sacrificans unum saltem Clericum linteo indutum amiculo habeat inservientem sibi. Clerici sabbato abstineant a carnibus. Quævis Ecclesia cathedralis, aut Collegialis, ut vocant, duos e gremio suo ad Universitatem mittat Theologiæ, vel Juri Canonico duros operam; qui tamen per absentiam suam nihil amittant de distributionibus quotidianis. Cætera ferme omnia spectant ad bona, jura, immunitates, ac

Sæcul. XIV.
A. C. 1268.
Baluz. cons.
Narb p. 112.
not. p. 55.
Sup. l. 93.
§. 35.
Sup. lib. 94.
§. 55.

Art. 74.
a. 82.
83.
90.
XII.



Sæcul. XIV. jurisdictionem Ecclesiæ. Concilium so-
A. C. 1368 lutum est 3 Junii an. 1368.

§. VIII.

Papa Monte Flasconis commoratur.

Vita to. I.
p. 770. to 2.
p. 382. 408.

Rayn. 1368.
n. 12.

Urbanus die Jovis 11 Maji Roma Montem Flasconis abiit, æstatem ibi ob cœlum salubre acturus. Sed quod sciret locum non esse toti curiæ suæ capiendæ parem, Viterbii propinqua urbe reliquit Ministros ad expedienda negotia necessarios. Illic habitans duas edebat litteras abrogantes cultum publicum a Summa Sede non decretum Viris sanctimonix famâ inclytis. Priores Ravennensi Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus inscriptas dabit 1 Septembris; ibique ait: Ut comperimus, quidam provinciæ vestræ Dominicani Jacobum sui Ordinis Fratrem proclamant Beatum, non ausi Sanctum dicere: ac Eremitæ S. Augustini idem faciunt suo Francisquino, per fulminis ictum necato. Amborum laudes pro concione celebrant in plateis, ac templis suis: ubi aras eis erigunt, & in officio ecclesiastico eos memorant diebus obitus, quibus abstinere a labore, adire templa, ubi jacent illorum corpora, & afferre dona volunt pœpulum. Papa Præiules jubet hanc Fratrum temeritatem reprimere.

Alteræ

Alteræ litteræ 15 Septembris scriptæ **Sæcul. XIV.**
 sunt ad cunctos Episcopos Britanniae. **A.C. 1368.**
 Carolus Guidonis Blesarum Comitis fi-
 lius natu major connubio sibi junxerat ^{n. II.}
 hæredem comitatus Britannici; de quo *Lobis hist.*
 tamen cum eo contendebat Joannes Co- **p. 309. 373.**
 mes Monfortius. Enato inde in bello
 diuturno Carolus Blesensis denique oc-
 ciscus est anno 1364. Qui causam ejus
 credebant justam, eum putabant Marty-
 rem, ut qui præterea per vitam suam sin-
 gulari pietate, severis afflictationibus cor-
 poris, & magna largitate in pauperes
 fulsisset. Igitur aliquot Religiosi præser-
 tim Ordinum Mendicantium de illo lo-
 qui e suggestu ad populum; in officio di-
 vino ejus mentionem facere die obitus;
 suadere pium accessum ad sepulchrum e-
 jus; ubi res quædam supra naturæ vim,
 & ordinem effici dicebantur: Atque ista
 sunt, quæ Papa Urbanus tum prohibuit.
 Sequentem autem anno 1369 rogatus a **p. 398.**
 Rege Gallorum & familia mortui Epis-
 copo Bajocensi, & Abbatibus Majoris Mo-
 nasterii, & Andegavensi ad S. Albinum
 præcepit, ut Caroli Blesensis vitam, &
 miracula indagarent. Quod executioni
 datum; ac perscripta inquisitio ad Pa-
 pam Gregorium XI missa fuit: qui ea
 minime utebatur: ac negotium effectu
 caruit. Etiamnum tenetur illa e centum **Id. l. 2. p. 540**
 triginta duobus testibus composita.

Sæcul. XIV.
A. C. 1368.

§. IX.

Creantur Cardinales.

Die Veneris 22 Sept. 1368 adhuc Monte Flasconis agens Urbanus sacerdotio inauguravit duos veteres Cardinales Diaconos, nempe Guilielmum Jugium, quem suus avunculus Clemens VI anno 1342 sacra purpura donaverat, & Stephanum Audebertum ea ornatum anno 1360. Eodem die Urbanus designavit octo Cardinales novos. Primus erat Arnaldus Bonardus Alexandrinus Patriarcha honorarius, ac Ecclesiæ Montis Albani Administrator: sed paucis antediebus, quam diceretur Cardinalis, obierat. Secundus, Philippus Cabassolus tum Avenionensis Vicarius Generalis, ac Jerosolymæ Patriarcha honorarius. Tertius, Simon Langhamius Anglus Archiepiscopus Cantuariensis. Fuerat Monachus, & Prior, dein Abbas Westmonasterii, renunciatus an. 1361 Episcopus Helianus, denique anno 1366 Archiepiscopus. Quartus, Bernardus * Sylvulus Cadurcensis, tunc Archiepiscopus Neapolitanus, Doctor Juris Civilis, & Cadurci primum, deinde Burdigalæ Canonicus, ac Præfectus Chori, Papæ Urbano a facello, & Auditor sacri palatii, anno 1365

Sup. l. 95.

§. 12.

Sup. lib. 96.

§. 41.

Baluz.

p. 1016. 1021

Bal. p. 1026.

Ughel. to. 6.

p. 198.

**Bosquet.*

1365 sedi Neapolitanæ impositus, quam ^{Sæcul. XIV.}
 vero reliquit, cum nominatus esset Car- ^{A.C. 1368.}
 dinalis Presbyter de duodecim Apostolis.
 Neapoli successorem habuit Bernardum
 Rutenensem.

Quintus, Joannes Domnamantinus,
 primum Canonicus Quintinofanensis in
 tractu Veromanduorum; post electus E-
 piscopus Lexoviensis; & anno 1360 crea-
 tus Bellovacensis Præsul. Agebat e-
 tiam Galliæ Cancellarium; ac sequente
 anno 1369 festa Lustratæ Virginis die
 petasum rubrum accepit per manus Gui-
 elmi Melodunensis Archiepiscopi Seno-
 num, titulum autem a templo Quatuor
 Coronatorum. Sextus, Stephanus Pa- ^{Sal. p. 1029.}
 risinus natus Victoriaci ad Sequanam,
 Doctor Juris pontificii, anno 1359 Ma-
 gister supplicum libellorum palatii regii,
 ac ex Decano Ecclesiæ Parisinæ Episco-
 po ejusdem per Urbanum factus 11 Dec.
 1363. Delphini Caroli baptisimo, quem
 ei Cardinalis Bellovacensis Joannes Do-
 mnomantinus conferebat die Mercurii 6
 Dec. 1368, assistebat Stephanus: eodem-
 que die Parisiis Romam abiit: quo Idi-
 bus Februarii anno 1369 delatus titulum
 a templo S. Eusebii obtinuit. Tum ab-
 dicavit sedem Parisinam: quam Papa E-
 merico Magnacio decrevit 23 Septem-
 bris eodem anno.

Sæcul. XIV. Septimus, Petrus Bagnacensis dictus
 A.C. 1268. ob patriam suam in Marchia, & dicecesi
 Lemovicana sitam. In Universitate To-
 losana litteras discens a Cardinali Hugo-
 ne de S. Martiale mutuatus erat Cicero-
 nis opera duobus voluminibus compre-
 hensa: quorum restitutionem sanxit in
 testamento suo: tanto tunc pretio con-
 stabant libri. Ab anno 1345 Abbas Mon-
 tis Majoris prope Arelatem erat, quando
 declaratus est Cardinalis Presbyter de
 S. Laurentio in Damaso. Is unicus e
 novis Cardinalibus Monte Flascionis a-
 derat: & anno sequente vitam edidit.
 Octavus & ultimus Franciscus Thebal-
 descus Romanus, ac Romæ Prior Ec-
 clesiæ S. Petri, unde vocatus est Cardi-
 nalis de S. Petro, quamvis esset Cardina-
 lis Presbyter de S. Sabina. Honorifica
 ejus mentio fiet postea.

p. 1032.

§. X.

*Imperator Carolus IV Romæ
 versatur.*

Oraverat Urbanus Carolum, ut ere-
 ptores terrarum Ecclesiæ subactus
 exercitum in Italiam numerosum duce-
 ret. Antequam vero hanc intraret, per
 diploma Viennæ in Delphinatu 11 Apri-
 lis anno 1368 datum, & sigillo munitum
 aureo

aureo cunctas immunitates, ac donatio-
 nes ab Imperatoribus factas confirmavit,
 accurate recensens omnia Ecclesiæ Roma-
 næ jura, & possessiones: quia Paparum,
 & Imperatorum absentia diuturna eas ve-
 hementer turbaverat, & multis usurpa-
 tionibus iniquis locum dederat. Caro-
 lus Veronam delatus cum dominantibus
 in ea Scaligeris modica transegit pecu-
 nia: sed Mediolanum progressus nihil ibi
 obtinuit.

Igitur ad Papam iter persequens, die
 Martis 17 Octobris attigit Viterbium; u-
 bi cum illo prandit. Tum Romam pe-
 tiit: quo secutus eum Papa 22 ejusdem
 mensis advenit. Quem mille passus ab
 urbe Imperator expectabat in quodam
 S. Magdalenæ templo: unde pedibus il-
 lum comitabatur vehentis eundem equi
 frenum tenens: quod Sabaudix Comes
 ab altero latere faciebat. Ita pergebant
 ad Vaticanum; & Romæ opperiebantur
 Imperatricem: quæ, cum Cardinales
 omnes obviam venissent, die Dominica
 29 Oct. urbem intravit. Die Mercurii
 1. Nov. Papa rem divinam peregit ad a-
 ram S. Petri; & Imperatricem corona-
 vit; postquam Cardinalis Episcopi Ostien-
 sis manu de more inuncta fuerat. In sa-
 crificio Imperator Papæ librum liturgi-
 cum, ac linteum Eucharisticum seu cor-
 porale ministrabat, ut Diaconus; sed
 Evan-

Sæcul. XIV.

A. C. 1368.

p. 384.

Rayn. 1368.

n. 5. 6. 7.

Vit. td. I. p.

771.

384. 385.

386.

387.

388.

389.

390.

391.

392.

393.

394.

395.

396.

397.

398.

399.

400.

401.

402.

403.

404.

405.

406.

407.

408.

409.

410.

411.

412.

413.

414.

415.

416.

417.

418.

419.

420.

421.

422.

423.

424.

425.

426.

427.

428.

429.

430.

431.

432.

Sæcul. XIV. Evangelium non legebat, nisi die natali
 A.C. 1368. Domini. Eodem festo Sanctorum Om-
 nium Imperatrix coronata per urbem
 vehebatur equo usque ad templum La-
 teranense. Carolus coronatus fuerat an-
 no 1355: nec multo post impositam con-
 jugi coronam Roma discessit.

Sup. lib. 96.
 §. 26.

§. XI.

Errores in Anglia damnati.

In Anglia novus Cardinalis Simon Lang-
 hamius Archiepiscopus Cantuariensis
 congregatis multis Theologiæ ac Juris
 Canonici Doctoribus condemnavit plu-
 rimos errores, quorum plerique fuere
 fructus subtilitatum scholasticarum. E-
 numerat triginta: vide ponderosiores!
 Quivis homo debet ante mortem suam
 habere claram visionem Dei, ac liberam
 optionem convertendi se ad Deum, aut
 inde se avertendi: atque secundum hanc
 electionem vel consequetur salutem, vel
 damnabitur. Quod intelligendum non
 de adultis modo, sed & de infantibus, iis
 quoque, qui moriuntur in utero materno,
 nec de Christianis tantum, verum etiam
 de Judæis, Saracenis, ac ethnicis. Ba-
 ptisma non est necessarium ad salutem il-
 lius, qui decedit infans: ac de salute in-
 fantis sacro fonte aspersi non minus du-
 bitandum est, quam de felicitate per-
 petua

to. II. Conc.
 p. 2034.

n. 4. 5. 6.

petua infantis sine baptismo mortui, & Sæcul XIV.
 cujuslibet alieni a fide Christiana. Ne- A.C. 1368.
 mo damnari potest ob solum peccatum
 congenitum. Gratia, ut plerumque ex-
 plicatur, est ludificatio: & homo vitam
 æternam naturæ viribus mereri potest.

7. 8.

10. 11.

15. 16.

18.

20.

23. 24.

26.

27. 28.

29.

Nihil potest malum esse solum ideo,
 quia vetitum est: atque fructus, quem
 comedit homo primus, erat prohibitus,
 quia malus erat. Finitus est Deus Pa-
 ter; finitus Filius; solus Spiritus San-
 ctus est infinitus. Rem nullam Deus in
 nihilum redigere potest. Homo est mor-
 talis tam necessario, quam est animal:
 ita Christus, Beatique omnes adhuc re-
 vera sunt mortales. Omnes Beati tam
 Angeli, quam homines, excepto Christo,
 etiamnum peccare, ac damnari possunt.
 Damnati omnes, etiam dæmones restitui
 possunt in statum pristinum beatique
 fieri. Deus neminem creare potest pec-
 cato nulli obnoxium. Hos errores con-
 demnans sanctio est inscripta Cancellario
 Universitatis Oxoniensis, & data Lambethæ
 9. Nov. 1368.

Rex Eduardus III edoctus Simonem *Bal. vita*
 Langhamium evasisse Cardinalem, omnia *p. 1024.*
 Cantuariensis archiepiscopatus prædia
 tanquam vacantia sub custodiam tradidit:
 nam instar regulæ statutum erat, ut
 Romana purpura reliqua beneficia cun-
 cta faceret vacua. Archiepiscopus insi-
 guia

Sæcul. XIV. A. C. 1368. gnia dignitatis suæ depofuit, & jurisdic-
tionem suam Priori, & coenobio Cantua-
riensi reddidit. Tum bona Regis cum
venia mense Aprili anno 1369 discessit;
& Montem Flafconis 24 Maji advenit.
A Papa Cardinalis Presbyter de S. Six-
to nominatus Cantuariæ successorem ha-
buit Guilielmum Vitelescum Vigornen-
sem Episcopum, Archiepiscopi Simonis
Issipii nepotem a Papa translatum.

Goduin.
p. 167.
Valsing.
p. 183.

§. XII.

Dionysii Sulechati retractatio.

Parisii Dionysius Sulechatus Ordinis
Minorum tertiam cecinit palinodiam
aliquot errorum, quos quinque abhinc
annos defenderat. Ut librum sententia-
rum exponeret, suum faciens principium
(erat nomen cujusdam actus publici)
de paupertate Evangelica, & perfectione
Christiana propositiones protulit, quæ fa-
vere Fratricellorum hæresi videbantur.
Delatum illius nomen ad Cancellarium
Parisiensis Ecclesiæ, & ad Doctores Fa-
cultatis Theologicæ: quibus magno nu-
mero congregatis tum inspectum prin-
cipium Dionysii manu scriptum, tum alia
indicia persuaferunt eum has proposi-
tiones propugnasse. His postea mature
discussis declarabant quasdam hæreticas,
alias Ecclesiæ decisioni contrarias, mul-
tas

Bibl. PP.
Paris. to 4.
p. 1160.
Duboulai
to 4 p. 378.
382. 424.
Rayn. 1362.
n. 16.

tas offensioni esse. Accito igitur Fratri Sæcul.XIV.
A.C.1369.
Dionysio interdixere, ne Professoris munus obiret, donec aliter statuissent.

Ille in hac inhibitione acquiescere se simulans recantavit errata sua coram Cancellario & Doctoribus legendo formulam sibi præscriptam. Sed eandem retractationem in conventu solemnifac-turum se pollicitus, cum instaret præfixa dies, se submovit. Quocirca Stephano Parisino Episcopo, postmodum Cardinali, & Inquisitoribus denunciatus ut hæreticus, & vocatus in jus est. At non se stitit, nisi Avenione; ubi pridie Calendas Februarias an. 1365 palinodiam iteravit suam coram Guilielmo Romano sacri palatii Magistro, & novem aliis Theologiæ Doctoribus Parisinis. Dein se purgaturus erratis prioribus adjecit nova.

Nam in præsentia duorum Cardinalium, quos a Papa cognitores impetraverat, & coram Doctoribus Parisinis, quos illi accersiverant, fecit declarationem eorum judicio pejora prislinis errata continentem. Tum nova quærentem effugia comprehendi Papa, & 1 Aprilis errores iterum Parisiis & publice quidem revocare jussit, alioqui piorum coetu movendum. Cardinalis Bellovacensis Joannes Domnamantinus erat, cui executionem mandati hujus commisit per literas

Sæcul. XIV. A.C. 1369. teras Romæ datas 23 Dec. 1368. Quapropter Dionysius die Jovis post Dominicam Quasi modo pridie Idus Apriles an. 1369 Parisiis in templo Dominicanorum tertiam, eamque publicam cantavit pallinodiam.

Rayn. 1369. *n. 15.* Eodem tempore Urbanus edebat literas vetantes, ne Præsules, Priores, aliique cœnobiorum Præsides a candidatis religiosæ vitæ tirocinium posituris ante vel post convivium postulent pecuniam, vel ornatus pretiosos, aut res alias quantumvis pios ad usus adhibendas. Permittitur solum, ut accipiant ea, quæ suscepti offerrent ultro, ac liberrime, nec ex composito. Qui contra fecerint, homines profani anathemate devincti, Regulares administrando munere interdicti declarantur. Dabat 4 Apr. 1369.

Ughell to. I. *p. 1051.* Anno eodem Papa per diploma Viterbii ultimo Augusti scriptum ex oppido, quod erat Mons Flasconis, sedem Episcopalem fecit; castrum civitatis jure ac nomine insignivit; S. Margaritæ templum esse cathedrale voluit: ubi octo Canonicos instituit, quibus assignavit redditus, ac novæ diœcesi limites præscripsit. Nondum tamen Episcopum ei dedit: sed post annos septem Gregorius XI Urbani successor novam ædem cathedralem dedicans Antistitem ibi primum posuit Petrum

p. 1062.

tram Afcufium natione Gallum, ex Or-
dine Auguftinianorum Mendicantium. Secul. XIV.
A. C. 1369.

§. XIII.

Imperator Græcorum Romæ agit.

Viterbio recta Romam ivit Urbanus,
ubi expectabatur ab Imperatore Con-
ftantinopolitano. Is erat Joannes Palæo-
logus, qui magnos Turcarum progres-
sus videns in Italiam transferat, a Princi-
pibus Occidentis auxilia petiturus. Pa-
pa die sabbati 13 Oct. an. 1369 Romam
ingreffus Palæologum honoribus affecit
multis, fed paulo minoribus, quam fi fui-
fet Imperator Occidentis. Die Jovis 18
ejusdem mensis Imperator Græcus in
templo Spiritus Sancti fidem professus est
coram quatuor Cardinalibus, nempe Gui-
lielmo Sudrio Epifcopo Oftienfi, Bernar-
do Sylvulo de duodecim Apoftolis, Nea-
politano Archiepifcopo, Francisco The-
baldefco de S. Sabina, & Raynaldo Urfi-
no Diacono de S. Adriano, quibus Papa
hac de re mandatum dederat Viterbii 7
Octobris.

Palæologus fidem prorfus catholicam,
& inter alia puncta profitebatur, Spiri-
tum Sanctum procedere a Patre, ac Fi-
lio; Romanam Ecclefiam tenere princi-
patum totius Ecclefie catholicæ, ac jus
Histor. Eccles. Tom. XXIV. Q deci-

*Vitæ PP.**to 1 p. 388.**410. to. 2.**p. 772.**Chalcond.**p. 25.**Rayn. 1369.**n. 1. 2. &c.**Allat. con.**p. 843.*

Sæcul. XIV. decidendi controversas de Fide quæstio-
A C. 1369. nes; & quemlibet in materia ecclesiasti-
 ca læsum eo appellare posse. Hanc pro-
 fessionem tradidit sermone Græco exara-
 tam, cui nomen ipse suum subscripserat
 minio, sigillumque aureum imprefferat:
 & cum illam jurejurando confirmasset,
 tanquam verus Catholicus ad osculum
 pacis commissus est a Cardinalibus.

Vita to. 2.
p. 773.

Die Döminica 21 Oct. e Vaticano pa-
 latio suo egressus folium conscendit S.
 Petri basilicam inter & hujus gradus e-
 rectum. Amictu pontificio insignem sti-
 pabant cuncti Cardinales, ac Præsules
 suis pariter ornamentis induti. Mox ve-
 nit Imperator Græcus; atque ut Papam
 vidit, ter flexit genua: tum accessit pe-
 desque, manum, & os ejus osculabatur.
 Papa surgens prehensa illius manu ince-
 pit hymnum Ambrosianum. Simul in-
 trabant templum; ubi Papa canebat sa-
 crum coram Imperatore, magnoque Græ-
 corum numero. Eo die cum Papa pran-
 derunt Palæologus, & universi Cardi-
 nales.

Rayn. 1368.
n. 18.

Anno priore Urbanus audierat, Fra-
 tres Minores a Ludovico Hungariæ Re-
 ge stimulos protectosque in Bulgaria,
 Rascia, & Bosnia quam plurimis hæreti-
 cis ac schismaticis sanam persuasisse fi-
 dem: ut docet epistola, quæ Regi gratias
 agebat 14 Jul. an. 1368. Ut consuleret
 eorum

eorum constantiæ, ac hæreticorum his in Sæcul. XIV.
 provinciis adhuc frequentium progressi- A. C. 1369.
 bus obstaret; Archiepiscopis Spalatino, Id. 1369.
 & Ragusiano, eorumque Suffraganeis n. 1. 3
 scripsit, ut pro viribus impedirent com-
 mercium Catholicorum cum hæreticis
 Bosniæ, ac ne hi illis, aut illi his mer-
 ces afferrent: qui contra egerint, ana-
 themate, ac hæretici etiam carcere mul-
 tarentur. Dabat 13 Nov. 1369.

Quod Græci se Romanos dicerent,
 metuebatur Græcorum astus sub nomine
 Romanæ Ecclesiæ. Itaque Imperator Id. 1370. n. 1.
 Joannes Palæologus mente Januario se-
 quentis anni 1370 Romæ confecit lit-
 teras, quibus explicat tabulas 18 Octo-
 bris datas, & declarat se per Ecclesiam
 Romanam intelligere illam, cui præside-
 ret Papa Urbanus V. Is abeunti Con- Id. n. 4.
 stantinopolim Principi multas alias inter-
 gratias Idibus Februarii contulit faculta-
 tem habendæ aræ gestatu facilis, in qua
 fieri coram se sacrum curaret, sed per La-
 tinum duntaxat Sacerdotem. Nimirum
 Græci non utuntur aris lapideis, sed co-
 rio, linteo, vel parte panni hunc in finem
 consecrata: *Antimision* vocant. Papa *Du Cange*
 illi etiam commendatitias dedit litteras *gloss. Gr.*
 ad Principes, quorum terras is tranlitu- p. 85.
 rus erat; veluti ad Reginam Neapolis
 Joannam, & ad Philippum Tarenti Du-
 cem, & Constantinopolitanum Imperato-

Sæcul. XIV. rem honorarium. Denique Palæologus
 A.C. 1369. æquissimo erga Papam animo discedere
 visus est.

Vitæ to. I.
 P. 388.

§. XIV.

Christo adjunguntur Valachi &c.

Clara Valachia Præfecti Alexandri vi-
 dua, Princeps catholica, & pia filias
 duas nuptum dederat, Regi Bulgariæ al-
 teram, alteram Regi Servia. Priorem
 illam a schismate ac hæresi dimoverat:
 quod ei gratulans Papa suadebat, ut idem
 faceret posteriori filia. Scripsit 19 Jan.
 & 8 Apr. etiam privigno ejus Ladislao
 Valachia Præposito, authorque fuit, ut
 ad Ecclesiam rediret.

Rayn. n. 5.

n. 6.

n. 7.

Lasco Moldavia Dux natione Vala-
 chus per Fratres Minores saniora doctus
 schisma, in quo cum subjectis eo usque
 vixerat, abjicere statuit: idque per duos
 ejusdem Ordinis Fratres Papæ Urbano
 indicavit, orans, ut sedes episcopalis fie-
 ret Cereta sibi submissa urbs Halicianæ
 in Russia dioeceseos, a qua longe remota
 esset; præterquam quod Episcopus de-
 bitam Ecclesiae obedientiam abnueret to-
 ta cum provincia. Papa proinde Archie-
 piscopo Pragensi, & duobus Episcopis
 Vratislaviae, atque Cracoviae scripsit, ut
 in rei veritatem inquirerent; addebat-
 que:

que: Si Lafconem, ac ei subditos fince-
 re ac firmiter velle catholicam amplecti
 fidem videritis, eos, aut ex eis illos, quos
 censueritis opportunos, ejurare schisma
 jubebitis. Tum Ceretam urbem, totam-
 que Moldaviam a jurisdictione Haliciani
 Præfulis, & cujuslibet Viri ecclesiastici
 omnino liberam pronunciabitis, folique
 Sedi supremæ in rebus facris obnoxiam.
 Denique Ceretam civitatis, ac sedis epis-
 copalis honore decorabitis: pro dioecesi
 totam ei Moldaviam adjungetis, & si-
 quod illic inveneritis templum idoneum,
 id facietis cathedrale. Hoc mandatum
 dedit 24 Jul. an. 1370.

Interim Papa plerosque Viros Apo-
 stolicos ab antecessoribus suis in Tarta-
 riam missos obiisse, multosque Christia-
 nos novos carere pastoribus audiens, hoc
 anno non paucos illuc Fratres Minores
 postremo Martii misit cum Guilielmo
 Dupratio Doctore Parisino: hunc eis præ-
 esse voluit: hunc fecit Archiepiscopum
 Cambalinum, Minorumque Ministri Ge-
 neralis per universam Cathajam Vicarium:
 huic dedit potestatem ducendi eo duo-
 decim, quos vellet, Fratres ejusdem Or-
 dinis. Complures eis epistolas dedit;
 primam ad Magnum Tartarorum Ca-
 num: alteram ad cunctos ejusdem natio-
 nis Principes; tertiam ad gentem to-
 tam: hortabatur, ut Archiepiscopo,

Q 3

Colle

æcul. XIV.
 A.C. 1370.

Vad. 1370.
 n. 1.2.

n. 4. 5.

Sæcul. XIV. Collegis ejus, novisque Christianis fa-
 A. C. 1370. rent; ac ipsi religionem veram profe-
 querentur. Crediderim Viros Apostoli-
 cos cognovisse, quam utiles forent hujus-
 modi epistolæ. Quarta monebat omnem
 Græciæ Clerum, ut Imperatoris sui ex-
 emplo schisma rejiceret.

u. 8.

§. XV.

Mons Cassinus instauratur.

Montis Cassini coenobium, Ordinis Be-
 nedictini caput, in rebus sacris ac
 terrenis magnopere defloruerat. Tene-
 bant illud multi monachi vagabundi, &
 insolentes, qui fere hominum profano-
 rum instar vivebant: ac ædificia pæne
 diruerat terræ motus. Papa Urbanus,
 ut celebre id monasterium instauraret,
 primo episcopatum a Joanne XXII anno
 1319 ibi constitutum per litteras 30 Nov.
 1366 datas suppressit, Abbatem præ E-
 piscopo renovandæ inibi disciplinæ ido-
 neum ratus. Deinde in reparanda ædi-
 ficia impendit abbatix vacantis redditus.
 Tum depulsis monachis malis modestos
 ac probos e coenobiis, ubi exactissima sa-
 crarum legum observatio vigeat, colle-
 ctos ibi sedem figere jussit.

Vita PP.
 p. 389.

Id. p. 138.
 275.

Bullar. Cas-
sin. to. 2.
 p. 283.

Tantum deerat Abbas bene gubernan-
 do coenobio novo, & attrahendis illuc
 homi-

hominibus egregiis aptus. Talem Papa ^{Secul. XIV.}
 diu nigros inter Monachos quærebat fru- A.C. 1370.
 stra. Tandem apud Camaldulenses in-
 venit Virum piissimum, in sacris preci-
 bus, ac libris assiduum, optimis præditum
 moribus, prudentem in rebus gerendis,
 abstinentiæ carniū, ac totius Regulæ
 studiosissimum: vocabatur Andreas Fa-
 ventinus. Accersitum hoc anno 1370 *Vita p. 1039*
 Papa reluctantem constituit Abbatem
 Montis Cassini. Eodem anno 7 Maji Re- *Rayn. n. 14*
 ginæ Neapolis Joannæ scripsit, huic ut
 monasterio redderet jurisdictionem pro-
 fanam, auctoritatem in clientes fidu-
 ciarios, cæteraque jura diminuta per
 Carolū Andegavensem, ac reliquos Re-
 ges antecessores suos. Timebat Pa-
 pa, ne alioqui disciplina inibi parum diu
 floreret.

§. XVI.

Papa discedit Roma.

Die lunæ 15 Apr. 1370 Papa in tem-
 plum Lateranense portari voluit duas
 statuas pectore tenus effictas pro capi- *Sup. §. 6.*
 tibus SS. Petri, & Pauli, quæ ibi tres *Vit. to. I.*
 Cardinales solenniter illis inclusa impo- *p. 390.*
 suere grandi tabernaculo suffulto quatuor *to. 2. p. 773:*
 columnis marmoreis, atque, ut Papa jus-
 serat, supra principem aram confecto.
 Sequentē die Mercurii Papa Romam ul-
 timo

Sæcul. XIV. timo vidit, Viterbium, & inde Montem
 A.C. 1270. Flasconis profectus. Tum declaravit
 suum propositum redeundi Avenionem,
 pacis inter Franciam & Angliam conci-
 liandæ gratia: utque tota curia sua pa-
 rare se ad iter posset, edixit iustitium a
 Calendis Junii usque ad initium Octo-
 bris.

p. 391.

Die Veneris post Pentecosten septimo
 Junii Papa Monte Flasconis creavit duos
 Cardinales. Prior erat Petrus Estainius
 in Rhutenensi diœcesi nobilissimo natus
 genere, S. Benedicti regulam professus,
 ac ex Episcopo Florofanensi Bituricensis
 Archiepiscopus factus: sed accepta pur-
 pura sedem illam reliquit secundum di-
 sciplinam hactenus observatam. Papa
 eum nominavit Cardinalem de S. Maria
 trans Tiberim, & in Italia suum esse Le-
 gatum voluit. Alter fuit Petrus Corsi-
 nus Florentinus, Thomæ Doctoris, &
 sacri palatii Auditoris filius, de sede Vo-
 laterrana, quam tenuerat, Florentiam
 translatus anno 1361, modo Cardinalis
 de S. Laurentio in Damaso: ac Floren-
 tiæ mox illi successit Angelus Ricafolius.

p. 1039.

p. 1040.
 Ughell. to. 3.
 p. 198.

Rayn. 2. 19.

Paulo post Papa Romanis scripsit, ut
 eos de absentia sua consolaretur, & aver-
 teret maculam, quam ea ipsorum nomini
 aspergere posset. Declarabat igitur se
 non abiisse ob molestiam aliquam ex iis
 captam: e contrario se suamque curiam
 optime

optime ab eis habitos esse per triennium Sæcul. XIV.
 Romæ, ac in vicinia transactum. Cogi- A. C. 1270.
 mur, addebat, trans montes nos recipere
 re ob negotia non tantum Ecclesiæ uni-
 versali utilia, sed & moram nullam fe-
 rentia: vosque semper in animo præsen-
 tes nostro tenebimus, quamdiu nobis fi-
 deles eritis. Dabat 26 Junii.

§. XVII.

S. Birgitta Sueca.

Mense Julio S. Birgitta Sueca Montem
 Flafconis venit, ut adiret Papam.
 Sub annum 1302 ex una de nobilissi- Bullar. Be-
 mis Sueciæ familiis orta, cum tredecim nif. IX.
 annos habens Vulfoni juveni Principi nu- const. 5.
 psisset, octo ei liberos peperit: commu-
 ni dein consensu continentiam coluere.
 Hoc in statu Compostellanum S. Jacobi
 templum simul petiere pietatis causa: &
 reversi religiosam amplecti vitam statue-
 runt ambo. Vulfo, priusquam id face-
 ret, decessit. Birgitta vero vidua dupli-
 cabat afflictationes corporis, suamque in
 pauperes largitatem: & paulo post, nem-
 pe sub annum 1344 Vadstenæ in Linco-
 piana dicecesi monasterium condidit pro
 sexaginta Virginibus, ac viginti quinque
 Fratribus Ordinis Augustiniani, quibus
 tradidit quasdam constitutiones: coeno-
 bio autem nomen a SS. Salvatore indidit.

Q 5

Talis

Sæcul. XIV.

A.C. 1370.

p. 414. 1057.

Rayn. 1370.

n. 9.

Talis erat Birgitta, cum ab Urbano confirmationem suæ regulæ, quam agebat a Deo sibi dictatam, petiit, ac impetravit. Tum Papæ per Nicolaum Nolæ Comitem dici curavit, fore, ut ageret perperam, neque conficeret iter suum, si abiret ex Italia. Præterea Cardinali Bellofordiano, qui postea evasit Papa, præsentem Alphonso Episcopo Giennino exposuit, sibi Romæ versanti Beatissimam Virginem indicasse sequentia: Deus vult Papam non egredi ex Italia, sed ibi manere ad mortem usque, sive Romæ, sive alibi. Alioquin, si redibit Avenionem, morietur statim, & de suo agendi modo rationem reddet Deo. Hujus rei notitiam e coelo haustam Birgitta Cardinali aperuit, ut Urbano eam scripto daret quam secretissime. At illo id facere non auso, sancta vidua ipsa eandem Alphonso manu scriptam Papæ tradidit.

§. XVIII.

Urbanus V obit.

Vita p. 392.
412. **S**eptimo Calendas Septembres Papa Monte Flasconis Castrum Novum venit: ubi hærebat usque ad Nonas Septembres: quibus conscensa nave sexto decimo ejusdem mensis Massiliam, & tandem vicesimo quarto Avenionem attingit plaudente populo. Inter Gallorum, Anglo-

Anglorumque Reges consilia pacis per se
 ipsum agitaturus jam itineris apparatus
 aliquos curaverat; cum gravem in mor-
 bum cecidit; & imminere sibi mortem
 videns de sola salute animæ suæ cogita-
 vit. Expiatis sæpius noxis usu Sacra-
 mentorum munitus coram suo cubicu-
 lario, conscientia Arbitro, multisque a-
 liis Viris spectatis, Credo, agebat, credo
 firmiter omnia, quæ docet sancta Eccle-
 sia catholica. Siquid aliud unquam
 quocunque demum modo protuli, revo-
 catum volo, meque correctioni Ecclesie
 submitto. Ut hæc testificatio monstrat,
 non se credebat liberum ab erroris peri-
 culo. Sic obiit die Jovis 19 Dec. 1370;
 postquam federat annis octo, mense uno,
 diebus undeviginti. In cathedrali tem-
 plo Avenionensi primum sepultus, deinde
 Massiliam in S. Victoris ædem, ut volue-
 rat, translatus est: magnaque ibi mira-
 cula fieri dicebantur.

Pæne jam inde a suscepto pontificatu
 plurimis in locis ædificia excitare cœpit,
 ac semper postea pergebat. Avenione
 palatium erexit, ac elegantem paravit
 hortum. Multas exstruxit ædes sacras;
 multa Canoniorum collegia instituit, &
 dotavit: Romæque, & alibi non paucis
 templis donavit calices, ornamenta, & li-
 bros. Assidue habebat senatus, & con-
 silia; & negotiis probe a cito expedien-
 dis

Sæcul. XIV.

A. C. 1370.

p. 398.

p. 392.

Sæcul. XIV.
A. C. 1370.

p. 395.

dis invigilabat: sed reprimebat Caufdicorum procuratorumque artes subdolas. Exercuit fervorem suum contra usuras, concubinatum, mercatumque sacrilegum: & quantum potuit, constrinxit possessionem complurium beneficiorum. Per totum pontificatus sui tempus diversis in Universitatibus litterarum studiosos mille aluit, librosque necessarios contulit indigentibus. Cesserone pro duodecim tiro-nibus in arte medica collegium condidit, ac vectigalibus instruxit. Generatim pauperum curam permagnam gessit, minime passus in se dominari naturalem in cognatos propensionem.

§. XIX.

Gregorius XI Papa.

Ragn. 1370.
n. 24.

Vita p. 255.
425. 731.

Ipso die obitus Urbani V. 19 Decembris Cardinales fratrem ejus Anglicum Collegam suum, Albanensem Episcopum, Legatum, & Vicarium Generalem in Italicis Ecclesiæ terris rei certiolem faciebant, monebantque, ut has Ecclesiæ possessiones conservare studeret, quamdiu vacaret suprema sedes. Vacavit autem decem duntaxat dies. Nam 29 ejusdem mensis Cardinales conclave vespere ingressi primo mane quasi divino instinctu cooptarunt Cardinalem Bellofordianum. Is erat Petrus Rogerius Malomontii

montii Lemovicana in dioecesi natus, *Sæcul. XIV.*
 Clementis VI nepos ex fratre Guilielmo *A. C. 1370.*
 Comite Bellofordiæ in Vallagia. Ex
 Notario Summæ Sedis Cardinalis Diaco-
 nus de S. Maria Nova, ut vocant, anno
 1348 per Papam suum patrum evase-
 rat, quanquam nondum decem & octo
 annos habens: at excellebat egregia in-
 dole, modestis, ac temperatis moribus,
 præclaro ingenio, raraque industria; &
 magnos jam progressus fecerat in Jure
 Civili, cui navatam tunc operam diu
 continuavit: deinde Juri Canonico, ac
 Theologiæ Morali studium impendit suum,
 ita, ut, quoties ferebat occasio, rectissi-
 me de iis differeret. Multa obtinuit *Vit. p. 1061*
 beneficia. Fuit Narbonensis Canonicus,
 Rothomagensis Archidiaconus, Præposi-
 tus in templo SS. Salvatoris Trajecti ad
 Mosam, Cantuariensis, & Bituricensis Ar-
 chidiaconus, Aurelianensis Ecclesiæ Ca-
 nonicus, & Archidiaconus Solliacensis.
 Hoc tum temporis in more positum ha-
 bebant Cardinales, ut dignitatem sustine-
 rent suam. Gregorius XI dici voluit ele-
 ctus Papa, eoque ipso die rei notitiam per
 litteras dedit Regi Gallorum Carolo V.
 Die sabbati quarta Januarii in Sacerdo- *Rayn. 1370.*
 tem, ac postera Dominica in Papam con- *n. 26.*
 secratus, coronatusque fuit.

Sæcul. XIV.
A.C. 1371.

§. XX.

Designantur Cardinales.

Vita p. 427. Die Veneris post Pentecosten 6 Junii
1061. an. 1371 Papa Gregorius declaravit

duodecim Cardinales, octo Presbyteros,
& quatuor Diaconos. Primus erat Pe-
trus Gomesius Barrosinus Hispanus, tunc
Hispalensis Archiepiscopus, probabiliter

Sup. lib. 93.
§. 40.

nepos illius, quem anno 1327 Joannes
XXII Cardinalem creavit: uterque gessit
titulum de S. Praxede. Iste sic promo-

Vad. 1371.
n. 4.

tus Avenionem Papæ adduxit duos e-
quos pulcherrimos, quos ei Rex Castel-
læ donabat cum ornatu pretiosissimo. Se-

cundus, Joannes Crosius Papæ cognatus
in tertio gradu, per Clementem VI ab an-
no 1348 Lemovicensis Episcopus, modo
Cardinalis de S. Nereo; sed communiter

Vita p. 1070 vocatus Cardinalis Lemovicensis. Ter-

tius, Bertrandus Cofnacijs ex eadem dice-
cesi, primum Brivanus Canonicus Re-
gularis, deinde Tolofanus Doctor Juris
Pontificii, & anno 1337 Brivanus Prior,
postmodum Convenarum Episcopus, &
inde dictus Cardinalis Convenanus.

Quartus, Bertrandus Latgerus Arver-
nus Ord. Minorum, Doctor Theologiæ,
anno 1345 a Clemente VI renunciatus
Episcopus Alaspinus, in Corsica, inde post
tres annos Assisium, & hinc Glandevain

trans-

translatus anno 1368; unde cognomen Sæcul. XIV.
 traxit ut Cardinalis, etsi habebat titulum A.C. 1371.
 de S. Cæcilia. Quintus, Robertus Gene- Card. Fr. pr.
 vas Comitum Genevensis frater, ex Cano- p. 485.
 nico Parisino, & Archigrammateo Sacræ
 Sedis factus an. 1365 Tervanus Episco-
 pus, post triennium translatus Camera-
 cum, modo Cardinalis de duodecim Apo-
 stolis. Sextus, Guilielmus Chanacius e Vita p. 1085
 nobilissima stirpe Lemovicensi, anno æta-
 tis septimo Lemovicis ad S. Martialem
 monastica indutus veste, Parisiis evasit
 Doctor Juris Canonici, an. 1354 Salmu-
 rinus ad S. Florentium Abbas, an. 1368
 per Urbanum V Carnuti Episcopus, an.
 1371 per Gregorium XI Mimati Præsul,
 & mox Cardinalis de S. Vitale.

Septimus, Joannes Faber Papæ Gre- p. 1092.
 gorii consobrinus, Doctor legum, ac ex
 Decano Aurelianensis Ecclesiæ Episco-
 pus Tutelensis per Urbanum V ab anno
 1370, postea Cardinalis de S. Marcello,
 sed brevi mortuus, nempe 6 Martii an.
 1372. Octavus Joannes Turrius Arver-
 nus, Abbas Benedictofanensis ad Ligerim,
 modo Cardinalis de S. Laurentio in Lu-
 cina. En octo Cardinales Presbyteros!

Primus Diaconorum, & nonus inter p. 1104.
 omnes fuit Jacobus Ursinus Romanus,
 Notarius Sacræ Sedis. Decimus, Petrus
 Flandrinus ex Vivarina diocesi, Doctor
 Juris Canonici, ex Decano Ecclesiæ Bajo-
 centis,

Sæcul. XIV.
A.C. 1371.

p. 1113.

censis, Cardinalis de S. Eustachio. Undecimus, Guilielmus Noëlletus e diœcesi Engolismensi, anno 1365 Tolosæ inter Doctores Juris relatus, postmodo Canonicus Bajocensis, & Auditor sacri palatii, anno 1366 Constantinopolim ad reconciliandas Ecclesias missus, Archidiaconi Carnutensis munere fungebatur, quando appellatus est Cardinalis de S. Angelo. Ultimus, Petrus Vergnius, in Tutelenfi diœcesi natus, Cesseronius Doctor Juris Pontificii, anno 1368 Vaurenfi concilio ut Narbonensis Canonicus adfuit, & Archidiaconum Rothomagensem agebat, cum nominatus est Cardinalis de S. Maria in via lata. Hi tres posteriores erant Auditores sacri palatii, & Papæ Gregorio a supplicibus libellis. Habes duodecim Cardinales decretos 6 Junii anno 1371.

p. 1116.

§. XXI.

Quæstiones de augustissima Eucharistia.

Nicolaus Emericus Dominicanus Theologiæ Doctor, ac per Arragoniam Inquisitor Papæ Gregorio indicavit, hoc in regno quosdam Religiosos e suggestu sacro protulisse has tres propositiones:
I. Si consecrata hostia cadat in cœnum, locum-

Direct. Inquis. p. 44.

locumve sordidum, quamvis maneant species, corpus Domini desinit ibi esse, ac eo redit substantia panis. II. Idem fit, si hostiam corrodat, vel devoret animal. III. Pariter, si homo species consumat in ore suo, Christus non venit in stomachum, sed in coelum abit. Inquisitor Papæ exposuit has propositiones posse offensionem esse, ac expetiit inhibitionem, ne dicerentur ad populum. Gregorius præsentibus tunc novos Cardinales Petrum Flandrinum de S. Eustachio, & Guilielmum Noëllatum de S. Angelo iussit hac super re scribere Archiepiscopis Tarraconensi, & Cæsaraugustano, eorum Suffraganeis, harumque provinciarum Inquisitoribus. Illi suis in litteris ajunt: Ex Papæ mandato vos monemus, nequem sinatis istarum propositionum aliquam enunciare pro concione, alioquin ipso facto incursum in pœnam anathematis. Significamus etiam Papæ nomine, hunc idem interdixisse Fratri Joanni Delaunio Ordinis Minorum sæpe harum propositionum aliquas publice vestris in templis elocuto. Dabant Villæ Novæ (quæ dicitur Avinionensis) 8 Aug. 1371.

Notandum, Papam non prorsus damnasse hæc tria dicta, sed tantum prohibuisse, ne palam spargerentur e pulpitis, quod imbecillos animos possent offendere. Et vero de mysterio Eucharistiæ

Hist. Eccles. Tom. XXIV.

R. Do-

Sæcul. XIV.
A. C. 1371.

Vad. 1371.
n. 14. 15. 66.

Sæcul. XIV.
A.C. 1372.
Lib. 5. dist. 19
3. p. q. 80. n. 1.
ad 3.

Doctores quidam indigne loquebantur; inter alios Wicleffus, qui tunc in Anglia incipiebat dogmata diffeminare. Propositiones, de quibus agitur, poterant, ut in se sunt, adhuc haberi problematicæ, ac de illis in utramque partem disputare licebat. Magister Sententiarum inquit: Possumus dicere, animalia non accipere corpus Christi, quamvis hoc accipere videantur. Quid ergo accipit forex, aut quid comedit? Deus scit. At ex mente S. Thomæ hoc in casu substantia corporis Christi non definit esse sub speciebus, quamdiu manent: atque ista opinio plus valuit in scholis catholicis.

§. XXII.

Apostolica expeditio in Bosnia.

Rayn. 1372.
n. 32.

Cum Lasco Moldaviæ Dux ejurato Græcorum schismate de suo ad Ecclesiam Romanam reditu Papæ scripsisset: hic illum per epistolam 25 Jan. 1372 datam hortatus est ad constantiam, & ut conjugem quoque suam in schismate pertinacem ad Ecclesiæ sinum reduceret. E multis litteris per annum eundem scriptis apparet, Fratres minores strenuam dedisse operam adjungendis Christo hæreticis, ac schismaticis propin quarum regionum, scilicet Bosniæ, atque Rasciæ.

Hujus

Hujus Ordinis Fratres tam Regis ^{sæcul. XIV.}
 Hungariæ Ludovici, quam suo nomine ^{A.C. 1272.}
 Papæ Gregorio tradidere petitionem, in
 qua dicebant in Rascia, Basaratiæque, ac ^{Vat. 10d.}
 vicinis terris messem multam, operarios ^{n. 30. 31. 32.}
 esse paucos: permetteret, ut plura sui Or-
 dinis cœnobia conderent. Consensit Pa-
 pa per epistolam 17 Junii exaratam, in-
 scriptamque Bartholomæo Arverno Mi-
 norum Ministri Generalis Vicario in Bos-
 fina. Decimo Calendas Julias Gregorius
 ad omnes Ordinis Ministros Provincia-
 les, & Custodes, seu Guardianos scripsit,
 ut in Boffinam ad hunc laborem Aposto-
 licum eundi copiam facerent cunctis Fra-
 tribus, qui sic cuperent, ac idonei viderentur: vetuit tamen, ne novi plures,
 quam sexaginta eo venirent. Memorant
 eædem litteræ, Fratres Minores quot-
 annis magno numero adiisse Portiuncu-
 lam indulgentiæ 2 Aug. consequendæ
 causa. Dabantur etiam in provinciis
 Hungariæ finitimis religionis desertores,
 qui e Christianis fiebant Musulmanni, vel
 post acceptum baptismum ad Mahometis
 superstitionem redibant. In hos æque, ^{Ravn. n. 34.}
 ac in hæreticos animadvertere Inquisi-
 tores Dominicanos, Franciscanosque jus-
 sit Gregorius.

Sæcul. XIV.
A.C. 1372.

§. XXIII.

Condemnantur errores.

n. 33.

Bulcin.
p. 21.

In Germania Albertus Halberstadiensis Episcopus dicitabat, hoc in orbe fieri omnia per necessitatem; ex fato pendere vitam, & mortem cujusque hominis; de nulla re consilium, aut deliberationem habendam esse; vim siderum necessario influere in quoslibet actus hominum. Cumque hic Præsul eruditionis fama floureret ut Doctor Parisiis creatus, multi, præsertim Nobiles, sermonibus ejus commoti vacillare in fide, non Cælites, non Deum precari, & opera bona negligere cœperunt.

Papa re comperta Præposito Herfordiano, Dominicano per illa loca Inquisitori, & cuidam Augustiniano Theologiæ Doctori 15 Martii an. 1372 dedit hoc mandatum: Si videritis ita esse, Episcopum jubebitis errorem suum coram vobis, suoque Clero, ac populo fateri, temere prolata retexere, & agnoscere, quod sint hæretica. Publicæ actus istius tabulæ conficiantur! Destinabitur ei tempus, intra quod hæc agat. Si non obedierit interea, eum ad tribunal nostrum citabitis, pro quo se sistat duos intra menses. Sive autem pareat, sive non; has propositiones palam declarabitis hæreticas,

reticas, & a Romana Ecclesia condemnatas.

Papa etiam audiit in quibusdam Siciliae locis esse homines, qui non dubitent Dulcini discipulos, & Fratres *vite pauperis*, etsi a Summa Sede damnatos, Sanctorum instar colere; illorum ossa, ut sacras reliquias asservare; in eorum honorem templa, vel sacella condere; quotannis ea magnas per turmas, & cum luminibus obire die mortis istorum commentitorum Caelitum. Igitur Episcopis Siculis 12 Sept. scripsit Papa, ut has superstitiones in posterum arcerent non modo per censuras ecclesiasticas, verum etiam, si foret opus, per auxilias civilis Magistratus vires.

§. XXIV.

S. Andreas Corsinus.

Ineunte anno 1373 obiit verus Sanctus, nempe Andreas Corsinus Fesulanus in Hetruria Episcopus, Florentiae nobili Corsinorum familia ortus sub annum 1302. Antequam nasceretur, parentes eius Deo promiserant primum conjugii sui fructum. Sed initio Andreas non respondit eorum consiliis. Anno ætatis duodecimo esse liberior, & disciplinæ impatiens cœpit, pergebatque tres circiter

R 3 annos.

Sæcul. XIV.
A.C. 1372.

Rayn. n. 36.

Sup. Lib. 91.
S. 33.

Boll. 29.
Jan. to. 2.
p. 1061.

Secul. XIV. annos. Quibus elapsis mater, quam con-
 A.C. 1273. tumelia modo affecerat, Video, aiebat,
 Video, mi fili, te lupum esse illum in fo-
 mnio mihi objectum. Nam pridie nata-
 lem tuum videbar mihi lupum parere,
 quasi postea, cum templum intraret,
 conversum in agnum. Non es nofter,
 sed sanctissimæ Virginis, cui te devovi-
 mus. Hæc verba Andreæ animum ita
 commovebant, ut per noctem totam de
 iis cogitaret, ac fervire Deo statueret.

Postero die templum Carmelitarum
 adiit, utque in Ordinem admitteretur,
 precibus obtinuit suis. Consentiebant
 parentes, ac filio benedicebant. Post
 vota nuncupata singulis diebus Vene-
 ris se flagellis cædere acriter; tum gran-
 dem collo fiscinam appendere, ac per Flo-
 rentiæ plateam maximam precario vi-
 ctum colligere solitus offensis hac re pa-
 rentibus, Paupertatem, aiebat, sum
 professus: mendicare meum est. Inau-
 guratus sacerdotio nihil solennis ritus,
 quem cupiebant parentes, primo in sacro
 suo voluit; sed hoc peregit in parvo cœ-
 nobio extra urbem sito. Jussu comi-
 tiorum generalium Parisios petiit, littera-
 rum studia exerciturus; ac triennio ibi-
 dem mansit. In reditu Avenionem de-
 latum Cardinalis Florentinus Petrus Cor-
 sinus agnatus suus per aliquot dies deti-
 nuit. Illic Andreas cæco usum oculo-
 rum

rum reddidit; alias quoque sanationes fecisse fertur.

Sæcul. XIV.
A. C. 1373.

Reversus domum evasit Prior cœnobii Florentini. Sed 13 Oct. 1349 electus Fesulanus Episcopus, & a Clemente VI confirmatus aufugit clanculum; & apud Carthusianos sese abdidit. Quærebatur frustra: novamque ad electionem res spectabat: cum trium annorum puer se in conventum inferens clamavit: Andream elegit Deus: mittite ad Carthusianos! reperietur sacris insistens precibus. Consecratus igitur Fesulanam Ecclesiam per annos tres ac viginti rexit, inter alias virtutes eximiam in pauperes charitatem colens. Tandem ad Superos migravit 6 Jan. 1373. Post multas sollicitationes ex intervallo repetitas Urbanus VIII eum in Sanctorum numero collocavit anno 1629.

Ughet. to. 3.
p. 329.

Bull. p. 1064.

§. XXV.

Censuræ contra Pro - Comites.

Papa Gregorius antecessorum vestigia persequens renovavit poenas duobus fratribus Barnabæ, & Galeatio Pro-Comitibus irrogatas. Septimo Calendas Augusti anno 1372 ad omnes Episcopos Germaniæ dedit epistolam; in qua exaggerat nefarios Barnabæ conatus contra Imperium, ac Romanam Ecclesiam;

Rayn. 1372.
n. I.

R 4

perfi-

Sæcul. XIV
A. C. 1373
perfidiam recedentis a pactionibus Sacra-
cum Sede factis; & violentiam inva-
dentis bona aliena. Prohibet, nequis
pecuniam, annonam, opem, aut consi-
lium fratribus istis afferat: eis subjectos
jurisjurandi religione solvit: illis adhæ-
rentes anathemate, interdicto, & priva-
tione dignitatum, munerumque omnium
percellit: cunctos demum Episcopos con-
furgere hos in tyrannos jubet.

Id. 1373. n. 10
Septimo Januarii an. 1373 alias ede-
bat litteras, in quibus singulatim recen-
set illorum crudelitates in multos Cleri-
cos per quadriennium necatos; per vim
arrogata ipsorum arbitrio beneficia; &
occupata bona ecclesiastica. Tandem
imperat Barnabæ, ut quinto Calendas
Apriles hora senatus sacri se sistat, causam
dicturus suam, & sententiam auditurus.
Præterea ut ne Pro-Comites per novas
affinitates Principum, & Optimatum fa-
miliis innecterentur, vetuit, ne cum illis
inirentur matrimonia, alioquin irrita fu-
tura: & quamvis insolita esset hæc in-
hibitio: multos absterruit ab eorum affi-
nitate, quam perlibenter quæsiissent.

*Vitæ to. I.
p. 430.*
Sed rebus efficacioribus ad coërcen-
dos Pro-Comites opus esse vidit Gre-
gorius. Igitur e suis, foederatorum, &
Franciæ terris numerosas collegit copias,
quibus præfecit Amedeum Sabaudicæ
Rayn. n. 13. Comitem. Victo sæpius Barnabæ, pa-
cemque

cemque tentanti reposit: Manifesto per-
 juris haud fidendum: pacem, & promiss-
 sa non servant sua, nisi quatenus id suis
 servire commodis putant. Nos ob pa-
 cem fallacem tantos sumptus non fa-
 cimus.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1373.

§. XXVI.

Pax inter Neapolim, & Siciliam.

Gregorius præter alios Ecclesiæ clien-
 tes fiduciariorum etiam Reginam Nea-
 polis Joannam fidem sibi ac obsequium
 spondere voluit: quod ea quarto Janua-
 rii anno 1372 fecit inter manus Bernar-
 di Rhuteni Archiepiscopi Neapolitani, cui
 Papa id dederat negotium. Eodem is
 tempore hanc Principem inter ac Fride-
 ricum Arragonium Regem Siciliae cu-
 ravit pacem, de qua multos per annos e-
 gerant duo Fratres Minores, scilicet U-
 bertinus Curillonius Friderico primus a-
 facello, & Joannes Episcopus Gravi-
 nensis, Reginae Joannæ a confessionibus.
 Denique confectam ab eis pacem confir-
 mavit. Papa quibusdam temperamentis
 additis 1. Oct. 1372. Tum missus ab eo
 Joannes Revellionius Episcopus Sarlati-
 nus consensum partium obtinuit postre-
 mo Martii an. 1373: & in Siciliam de-
 latus censuras huic insulæ multis ab-
 hinc annis irrogatas sustulit, nactus po-

Id. 1372. n. 4.

*Ughel. to. 6.
 p. 198.*

*Rayn. 1372.
 n. 5. &c.*

*Vad. 1372.
 n. 18.*

*B20v. 1373:
 n. 24. 25. &c.*

*Rayn. 1372.
 n. 25.*

*Vit. p. 432.
 1122.*

*Rayn. 1373:
 n. 19.*

Sæcul. XIV. ftea rogati a Friderico Gregorii manda-
 A. C. 1373. tum 30 Martii an. 1375 scriptum, ut illum
 coronaret Regem Trinacriæ.

§. XXVII.

Turlupini hæretici.

Rayn. 1373. Interim Papa Gregorius Regi Franciæ
n. 19. 20. Carolo V scripsit in hanc sententiam:
 Ut audivimus, in quibusdam regni tui
 locis utriusque sexus homines de secta
 Begardorum (etiam Turlupini vocaban-
 tur) diversas spargunt hæreses: & tu
 per Inquisitores in illos animadvertere
 cœpisti. Hic cernimus Turlupinorum no-
 men tunc fuisse serium, ac significasse
 quoddam Manichæorum genus: & argu-
 mento itidem est commentarium curiæ
 fisci hoc eodem anno editum. Grego-
 rius pergit: Sed & Valdensium multitu-
 do magna in Delphinatu, locisque vici-
 nis datur: Prætorumque tuorum aliqui
 Inquisitoribus, quos juvare deberent,
 obstant; loca pro ipsorum munere con-
 tra hæreticos obeundo parum tuta assi-
 gnant; illos de his statuere sine profano
 Judice non patiuntur, aut ipsorum senten-
 tias ei monstrare cogunt: quos tanquam
 hæreticos, aut suspectos illi carceribus
 mandarunt, tui Prætores in libertatem
 asserunt: ac renuunt ex Juris præscripto
 jurare, se regionem ab hæreticis pur-
 gaturos.

Du Cange
Gloss.
Turlup.

gatos. Papa hortatur Regem, ut re- Sæcul. XIV.
 media his rebus iniquis adhibeat. Da- A. C. 1373.
 bat 27 Martii an. 1373. Nota, Lector,
 circumscriptum jam tum Inquisitionis
 exercitium!

Turlupini se nominabant societatem
 pauperum, negabantque verecundandum
 de ulla re, quæ naturalis esset, ideo-
 que opus Dei. Itaque corpora nudabant
 sua, & promiscue concumbebant instar
 pecorum, ab institutione divina non di-
 stinguentes pravitatem naturæ per pec-
 catum inductam. Rex Carolus V pro-
 gressum sectæ hujus per severitatem sti-
 tit. Parisiis in foro porcario extra por-
 tam S. Honorii eorum vestes, ac libri
 combusti sunt, & duo ex primis, qui hanc
 sectam professi fuerant, vir ignoti nominis,
 & Joanna Albentonia.

*Gaguin. l. 9.
 Cont. Fr. de
 Nang.*

Sub idem tempus Papa comprehendi
 jussit Arnaldum Montanerium fratrem Rayn. 1373.
 n. 19.
 Minorem Podicertanum Catalaunum, qui Direct. In-
 quis. 2. par.
 q. 11. p. 267.
 a tempore Innocentii VI e suggestu sacro
 proferebat, defendebatque quosdam er-
 rores. Redacti sunt in has quatuor pro-
 positiones: Christus, & Apostoli nihil ha-
 bebant proprium vel privatim, vel com-
 munitè. Quicumque gerit vestem S.
 Francisci, damnari nequit. S. Franciscus
 quotannis aliquo die descendit ad flam-
 mas piaculares, & hinc educit animas
 Fratrum sui Ordinis. Is Ordo stabit per-
 petuo.

Sæcul. XIV. petuo. Arnaldus noluit ejurare suos errores, quanquam id simulabat: sed fuga se subduxit. Citatus non adfuit ad iudicium; novemque annis permansit contumax. Tandem ut Inquisitor Emericus Urbanum V, dein Gregorium XI consuluit, una cum Berengario Davide tunc Urgellano Episcopo publice Arnaldum declaravit hæreticum obstinatissimum, ac errores ejus damnavit. Ergo Gregorius Armando Fratrum Minorum Ministri Provincialis Vicario scripsit, ut profugum in Orientem Arnaldum Montanerium ad Summam Sedem captivum mitteret.

§. XXVIII.

S. Birgittæ obitus.

Sup. §. 17. Sancta Birgitta obtenta ab Urbano V confirmatione sui Ordinis Neapolim primo, tum in Siciliam, & inde Romam delata, quod se crederet divinitus admonitam, ut Hierosolymam iret, etsi sexaginta novem ætatis annos habens Palæstinam cum filia sua Catharina petiit.

Heliot. to. 4. p. 38. Illic obibat sacra loca omnia, quorum in numero semper ducebatur Nazarena domus Virginis ab Angelo salutatae. Romam reversa Birgitta inibi apud S. Claræ filias ad S. Laurentium in Panisperna, quo se receperat, sanctam oppetiit mortem

Bull. can. n. 22.

n. 41.

mortem 23 Julii anno 1373. Sequenti ^{Sæcul. XIV.}
 anno corpus ejus curis Catharinæ filiæ ^{A.C. 1373.}
 translatum in Sueciam sepultum est in
 Vadstenano cœnobio, quod illa condide-
 rat, & ubi multa fiebant opera naturæ
 viribus majora.

§. XXIX.

Sandiones pro Candia.

Candiam tum temporis tenebant Ve-
 neti, sed incolebant Græci ex maxi-
 ma parte schismatici, quos Monachi, &
 Sacerdotes sui pro viribus avocabant a
 reditu ad Romanam Ecclesiam. Idcirco
 Papa Urbanus anno 1368 hujus insu-
 læ Archiepiscopo, & Suffraganeis scripsit
 epistolam, in qua dicebat: Modo, dum
 ecclesiasticæ censuræ Magistratus civilis
 ope melius mandari executioni queunt,
 in hac insula extirpatum iri schisma
 sperantes præcipimus, ut Græcorum ne-
 mo ad Ordines promoveatur nisi per
 Episcopum Latinum, aut Græcum Catho-
 licum, qui hoc per litteras testetur suas;
 & consecratus a tali Sacerdos divinum
 sacrificium, officiumque ex ritu Ecclesiæ
 Romanæ peragat. Vetamus insuper, ne-
 quis Monachus, vel Sacerdos Græcus
 nostrum non servans ritum deinceps au-
 deat confitentibus operam dare, aut e sug-
 gestu ad Populum dicere.

Etiam

Rayn. 1368.
n. 20.

Sæcul. XIV.

A.C. 1373.

Id. 1373.

n. 18.

Etiam Duci Veneto Andreæ Contarino scripsit in hanc sententiam: Ut comperimus nuper admodum: Constantinopolitanus Patriarcha Græcus olim vestram in insulam Cretam mittebat Archiepiscopum sibi similem, seu schismaticum, qui tales Græcos in rebus sacris regeret. At unus ex tuis antecessoribus gravi sub pœna prohibuit, ne hujusmodi Præsul in posterum reciperetur: ac inde a morte cujusdam Macarii observata est interdictio: ut etiamnum observatur. Idem Dux sanxit, nequis schismaticus excederet ex insula, & schismatico a Præsule Ordines acciperet: quæ tamen inhibitio modo haud observatur; & sic in insula fovetur schisma. Oramus itaque, ut hoc præceptum sancte servandum cures; & tam per te ipsum, quam per Prætores, quos ibi habes, facias, quidquid ad schismaticos Ecclesiæ jungendos valet: qui, quo magis concordēs Latinis Catholicis, eo fideliores tibi erunt. Dabat 27 Oct. 1373.

§. XXX.

Festum oblatæ in templo Virginis.

Sup. lib. 96.

§. 39.

Philippus Macerianus nobilis Gallus, ac Regis Cyprii Cancellarius, de quo jam facta mentio, hoc anno in aulam Regis Caroli V delatus, huic exposuit, quæ sequuntur:

tur: In Oriente, ubi sum versatus diu, ^{Secul. XIV.} quotannis festum oblatæ in templo San- ^{A.C. 1373.} ctissimæ Virginis tres habentis annos a- ^{Launoi Hist.} gitatur ad rei memoriam. Magnum id ^{Navarr. to. I} festum Occidenti non esse notum cogi- tans, cum Legatum Regis Cyprii apud Papam agerem, loquebar ei de hoc ar- gumento, festique officium modis musi- cis illigatum exhibui. Posteaquam id per Cardinales, aliosque Præsules, ac Theologiæ Doctores perlustrandum cu- raverat, permisit, ut hoc festum celebra- retur: quod executioni datum Avenione coram multis Præsulibus, ac frequente populo.

Sub hæc verba Philippus idem offi- cium Regi tradidit. Accepit Carolus, & 21 Nov. 1373 in sacello suo peragi solen- niter voluit per Papæ Nuncium Petrum Abbatem Conchensem, ac Juris pontifi- cii Doctorem; qui rem divinam fecit, ac sermonem habuit elegantissimum in præ- sentia Regis, & plurimorum Præfulum, Procerumque ab isto huc accitorum. Præbuit ea res materiam epistolæ, qua idem Rex Magistrum & Academicos Na- varræi Collegii sequente anno est adhor- tatus, ut oblatæ in templo Virginis fe- stum diem anniversarium agerent.

Sæcul. XIV.
A.C. 1373.

§. XXXI.

Angliæ beneficia ecclesiastica.

Valsing.
p. 18.

Rayn. 1374.
n. 21.

Hoc anno Eduardus III Anglorum Rex Papam per Legatos oravit, ut Angliæ beneficiorum in Romana curia vacantium reservationes omitteret; Cleroque libertatem eligendi Episcopos, ac eos confirmandi jus Metropolitæ relinqueret. In aliis quoque rebus multis læsos se conquerebantur Rex, & Angli. Itaque Gregorius in Angliam misit Episcopos Pompejopolis, & Senogalliæ, ac Ægidium Sanctium Munnum Ecclesiæ Valentiniæ Præpositum, qui Regi Eduardo hanc facerent declarationem: I. Causæ omnes, quæ beneficia, quamdiu vacant, Regio juri obnoxia contingunt, & in curia seu Romana, seu Anglica modo agitantur, differentur in Natalem S. Joannis Baptistæ diem anniversariam primo futuram; postea vero resumî, & iterum tractari poterunt. II. Qui ex autoritate Apostolica in Anglia beneficia tenent, manebunt in possessione, quæ propterea haud poterit turbari. III. Si cathedrales interim, vel aliæ vacabunt Ecclesiæ; ac Rex hac occasione nominationem ad quædam beneficia esse suam contendet, nihil novum faciet, quod obesset litigantibus, aut aliis, qui ea conferendi jus

a Sum-

a Summa Sede obtinuerunt. Reliqua ^{Sæcul. XIV.} declaratio similes continet cautiones, ne ^{A.C. 1374.} quid novetur usque ad præfixam diem. Mandatum Legatis dedit 21 Dec. 1373.

§. XXXII.

Ecclesia Polonica.

Milleccius Sacerdos & Canonicus Pragensis Gnesnam Poloniæ urbem petierat: ubi per speciem pietatis hæreses e suggestu spargebat. Edoctus id Papa Gnesniano Archiepiscopo Idibus Januariis anno 1374 scripsit, ut in rem inquireret, & in Milleccium, si fontem inveniret, animadverteret. In litteris decimo sequentis Februarii datis ad Imperatorem Carolum Regem Bohemiæ, ubi Milleccius serere suos errores coeperat, memorat Gregorius, se hac de materia scripsisse Archiepiscopo Pragensi, ac Episcopis Vratislaviæ, Litomesci, & Olomutii; rogatque Carolum, ut ea, quæ hi Præsules agerent, autoritate sua fulciat.

Rayn. 1374. n. 10.

n. 11.

Tunc Poloniam turbabat factio Monachi aspirantis ad coronam. Regi Casimiro III Nonis Novembribus anni 1370 mortuo successerat Ludovicus Rex Hungariæ tanquam genitus ex Elisabetha ejus sorore, Ladislai Locteci filia. Die Dominica post solenne S. Martini decima septima Novembris eodem anno 1370

Duglos. l. 9. p. 1162.

Lib. 10. p. 7.

His. Eccles. Tom. XXIV. S Cra-

Sæcul. XIV.
A.C. 1374.

p. 20.

Cracoviæ per Jaroslaum Gnesnanum Archiepiscopum coronatus Poloniæ Rex non ideo sceptrum Hungariæ abdicavit. Regis Casimiri cognatus quidam Ladislaus cognomine Candidus, quod se viduum ac sine liberis videret, relictis ei terris suis omnibus acceptisque ab eodem mille florenis e Polonia excessit, nunquam illuc redire statuens. Conscensa Venetiis nave Hierosolymam profectus in reditu substitit Avenione, atque Cisterciensem familiam auxit ut frater laicus. Diu inibi commoratus vestem cineream mutavit nigra in Divionensi S. Benignæ coenobio.

p. 17.

Quatuordecim fere annos ibi permanerat: cum quidam Poloniæ Proceres eum de Regis Casimiri obitu certiorum factum impulere, ut remisso monasticæ vitæ nuncio rediret in patriam, regni que possessionem caperet ut hæres mascula e stirpe proximus. Neque contenti misisse alios venerunt ipsi; & proponebant exemplum Casimiri Regis, qui Cluniaci se professus Monachus, & in Diaconum consecratus anno 1040 a Papa Benedicto IX votorum solennium gratiam faciente regnandi, & conjugis ducendæ copiam impetrasset. Secutus id exemplum Ladislaus Candidus an. 1373 e monasterio suo Avenionem abiit, similem a Papa Gregorio gratiam petiturus.

Sup. lib. 59.
§. 39.

Qua

Qua minime obtenta Basileam primum, Sæcul. XIV.
 ubi Poloni Proceres eum expectabant, A.C. 1374.
 tum de horum consilio Budam, Regem-
 que Ludovicum adiit: a quo male satis
 acceptum destituerunt Poloni Proceres
 spe lapsi sua. Elisabetha vero Regina
 Hungariæ, altera Ludovici conjux erat
 Ladislai neptis e sorore. Illa maritum
 avunculo tam intentis precibus propitia-
 vit, ut eum Avenionem remitteret cum
 Legatis, qui orarent Gregorium, ut per
 ipsum illi liceret exuere Monachum, &
 in ducatum reverti suum. Id autem ab-
 nuit Papa, ut antea, vota solennia laxan-
 di causam inveniens nullam.

Tum Ladislaus in scio Rege Ludovi-
 co cum quatuor solum domesticis in Po-
 loniam Majorem transiit. Sed Gnesnam
 delatum hospes agnovit suus anniversa-
 rio Natali Virginis sexto Idus Septem-
 bres, qui erat dies Veneris; & quod con-
 sequitur, fluebat annus 1374. Ille se pro-
 ditum videns mox abiit; & arcibus qui-
 busdam captis bellavit aliquamdiu, at
 irrito conatu. Denique Regi Ludovico
 submittere se, suumque Griecoviæ ducatum
 decies mille florenis vendere coactus,
 opulentam in Hungaria Cisterciensis
 Ordinis Abbatiam obtinuit, ubi reli-
 quam vitam ageret. Cum ibi multos
 mansisset annos, illa pariter relicta no-
 xarum maculas absterfurus cœnobium

Sæcul. XIV. Divionense repetiit; ubi supremum ex-
A.C. 1374. plevit diem.

§. XXXIII.

Petrarcha Poëta.

Hoc anno 1374 naturæ concessit Francis Petrarca vir celeberrimus, quem nosse interest ad judicandum, quanti ponderis esse debeat ejus testimonium de Summis Præsulibus sui temporis, ac de Curia Romana. Aretii in Hetruria 28 Julii an. 1304 natus patrem habuit Florentinum ex antiqua familia, sed paulo ante per factionem patria expulsus. Cum is relicta Italia ex comitatu Romanæ Curiae victurus Avenionem iret, Franciscus nonum circiter agebat annum; & Grammaticam discere Carpentoracii coepit: unde Cesseronem a patre, tum Bononiam Juris audiendi gratia missus, eo neutiquam delectabatur, sed lectione Virgilii, Ciceronis, & Historicorum, quos tam assidua versabat manu, ut ex primis fuerit, qui mansuetioribus denuo musis, & litteris politioribus animos conciliarent.

Avenionem reversus aliquot annos peragrans Franciam, & Italiam traduxit: Parisios venit: Romam adiit: ubi res opere antiquo, & arte summa perfectas observabat inspector curiosissimus. Dein
 Avenio-

*Vita per
 Squarz.*

Avenionem iterum profectus se recepit Sæcul. XIV.
 in locum, cui nomen Vallis Clausa: ubi A.C. 1374.

amœnam invenit solitudinem, ac plerosque libros suos composuit. Præ aliis nota sunt poëmata ejus Italica, quorum materia præcipua est illius amor in bellam Lauram. Præsetulerat clericatum ab adolescentia sua, fuitque postmodum Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patavinus: sed vitæ professio non eum cohibuit, quin libidinem sequeretur suam, cum esset juvenis. Nec eam restinxit, nisi quadragesimo ætatis anno. Ita filiam suscepit, quam nominabat Francisculam, & nuptui collocavit. Papa Benedictus XII Petrarchæ, ut Lauram duceret, suavit, beneficiorum fructus annuos servandi copiam se ipsi facturum spondens. At Poëta reposuit, si semel possideret Lauram, omnia, quæ deinceps scribere de illa vellet, intempestiva fore. Aliter ipsa sentiens, cum se destitutam spe sua cerneret, alii nupsit.

Annos triginta septem habens Petrarca venit Neapolim ad Regem Robertum amantem hominum litteratorum: a quo commendatitias nactus litteras Romam petiit poëtica coronandus laurea, ut morem veterem revocaret, cujus tamen monumentum antiquitas nullum reliquit. Hæc ceremonia inanis, & profana magis, quam Christiana peracta est an. 1341

Sæcul. XIV. die Paschatis sexto Idus Apriles, quo Pe-
A. C. 1374. trarcha in Capitolio ritu solenni coronam
 accepit lauream.

Sup. l. 95.
 §. 38.

Hort. ad
Nic. Laur.
 p. 535.

Myth. d' iniq.
 p. 440.

Sed modicum iudicium suum, & ani-
 mi sui levitatem tunc maxime prodidit,
 cum palam professus est sua studia erga
 Nicolaum Laurentium delirum illum ho-
 minem, qui sub titulo Tribuniplexis an.
 1347 Romæ seditionem commovit infau-
 sto, ut legimus, eventu. Petrarcha ei
 scripsit ut Heroi cuidam libertatis Roma-
 næ restitutori: eum comparabat Camil-
 lis, Brutisque, ac Viris, quos Roma ve-
 tus clarissimos habuit: eundem ad per-
 sequenda instituta, Romanos ad sequen-
 dum eum hortabatur: denique sponde-
 bat ei haud minora, quam cæleste præ-
 mium. Num post hæc laudari Petrar-
 cha ut author idoneus potest? An hujus
 litteræ latinæ dici plenæ pii fervoris,
 gravitatis, ac doctrinæ queunt? An e-
 jus vagæ declamationes contra Romanam
 Curiam satis momenti habent, ut cum eo
 perhibere liceat, Avenionem fuisse Baby-
 lonem, ac residentem ibi Ecclesiam fuis-
 se meretricem Apocalypticam? Deces-
 sit 19 Julii anno Christi 1374, ætatis
 suæ 70.

§. XXXIV.

Sæcul. XIV.
A.C. 1375.*Papæ ad Cantacuzenum epistola.*

Dominicani a Papa in Armeniam missi cum Clero Constantinopolitano de rebus inter Latinos & Græcos controversis differuerant coram Joanne Cantacuzeno antea Imperatore, tunc Monacho, qui dixerat se persuasum sibi habere Romanæ Ecclesiæ primatum inter cunctas orbis Ecclesias, summamque in eas potestatem & pro hac veritate tuendam suam, si foret opus, vitam daturum. Id per Episcopum fide dignum edoctus Papa Gregorius Cantacuzeno gratulabatur per litteras, in quibus ait: Negatio primatus nostri discordiam Latinos inter & Græcos excitavit, & aluit. Tuque, ut fama fert, magna polles prudentia, gravitate morum, & scientia præter auctoritatem, quæ tibi restat ex dignitate imperatoria. Proin oramus magnopere, ut Ecclesiarum concordiam, cujus author fieri præcipuus potes, omni ope, atque opera promoveas. Ingenti nobis gaudio esset te videre, ac tecum id tractare negotium, si posses venire Romam, quam nos autumnali hujus anni tempore adire statuimus. Dabat 28 Jan. 1375.

Ragn. 1375.
n. 2.

S 4

§. XXXV.

Sæcul. XIV.
A. C. 1375.

§. XXXV.

Papa Romam ire decernit.

Gregorius susceptum animum petendi Romam jam declaraverat, cum solemnem Romanorum legationem excepisset. Vide, quomodo Imperatori Carolo hac super re 8 Oct. scripserit! Adire Romam præcipuam sedem nostram, ibique ac propinquis in locis cum nostra Curia residere, jam inde ab initio pontificatus nostri semper desideravimus. Hactenus ob diversa obstacula haud potuimus hoc iter facere, ac ne tempus quidem ei destinare. Nunc autem constituimus mense Septembri juvantibus Superis nos viæ committere, ne nimium cunctemur. Pergratam tibi rem nunciantes expetimus, ut hoc iter cum nostra Curia tuto conficere, ac Romæ tranquille agere auxilio possimus tuo. Idem eodem tempore indicavit Papa Ducibus Austriæ, Ludovico Hungariæ, Friderico Siciliæ Regibus, ac Principibus Italiæ universis.

*Sup. lib. 96.
§. 54.*

*Rayn. 1375.
n. 22.*

Vidimus, quam ægre Galli tulerint Papam habitare Romæ; & quæ hac de re Urbano V proposuerint. Quapropter Gregorius XI 9 Jan. 1375 Regi Carolo V ita scripsit: Quamvis grave sit nobis e tua vicinia, natalique regione nostra procul

cul abire: id tamen exigunt condecen-
 tia, incrementum religionis, & status Sæcul. XIV.
A.C. 1375.
 terrarum Ecclesiæ: ac proximo vere Ro-
 mam proficisci post maturam delibera-
 tionem statuimus. Significavit hoc e-
 tiam Eduardo Angliæ, Ferdinando Lusitaniae, Henrico Castellæ, Petro Arragoniæ, & Carolo Navarræ Regibus. At postea sperans se per autumnum anni hujus confecturum pacem inter Franciam, & Angliam, iter suum in venum anni posteri tempus distulit; ut docet ejus epistola 20 Julii ad Ducem Venetum data.

Diuturna Paparum in urbe Avenione commoratio videbatur approbare reliquorum Præsulum absentiam a propriis diocæsesibus. Itaque Papa, ut malum hoc exemplum, quod ex sua parte sublaturus erat, totam per Ecclesiam tolleret, 29 Martii edidit sanctionem, cujus hæc erat summa: Præcipimus, ut omnes cujuscunque dignitatis Episcopi, Abbates, ac Ordinum Præpositi duos intra menses ad suas redeant Ecclesias, & assidue ibi resideant, exceptis solum Cardinalibus, Legatis, Nunciis, cæterisque Administris nostris, quos speciatim nominaverimus, & quatuor Patriarchis, quorum sedes sunt in terris hominum a religione sana alienorum.

Sæcul. XIV.
A. C. 1375.

§. XXXVI.

Hæretici capiuntur.

Rayn. n. 26.

Bæov. n. 15.

*Vad. 1375.
n. 12.*

Valdenses, aliique hæretici invalescebant in Delphinatu, seque finitimas in provincias, præsertim in Sabaudiam extendebant. Segusione die Lustratæ Virginis Inquisitorem necarunt in coenobio Dominicanorum. Alius ex eodem Ordine Inquisitor Antonius Paronus in quadam diœceseos Taurinensis parœcia multos dari hæreticos audiens eo se contulit: & die octava Paschatis peracto sacrificio, & concione contra hæreticos habita per duodecim sicarios ex eorum numero publice ante templum in platea multis ictibus est transfossus. Re compta Gregorius Amedeum Sabaudia Comitem per litteras stimulavit, ut has duas cædes a subjectis sibi hominibus commissas vindicaret. Dabat 20 Martii anno 1375.

Quia Delphinatus jam tum Gallorum Regis erat, ad eum Papa Nuncium misit Antonium Massensem in Hetruria Episcopum una cum Francisco Borillo Ordinis Minorum Doctore Theologiæ, ac Inquisitore Viennæ, vicinarumque provinciarum. Multas ferebant epistolas 7 Maji an. 1375 datas. In prima Regi scripta dicebat Gregorius: Quidam Delphina

phinatus Viri nobiles, ut comperimus, favent hæreticis, quorum numerus ibi magnus est; nec Inquisitorem in eos animadvertere sinunt: ipse provinciæ Gubernator etsi rogatus, auxiliarem non præbet manum, sic malum ingravescit. Oro igitur Majestatem tuam, ut ei velociter medeatur; nec scribat modo, verum etiam illa in loca mittat homines flagrantes religionis studio, & animosos, qui regia mandata conficiant.

Episcopo simul Parisiensi Emerico Magnacio ita scripsit: His diebus, cum apud nos esses, indicavimus tibi, quæ audiveramus de multitudine hæreticorum hærentium in Delphinatu, & Gubernatoris præsidio fruquentium. Memineris etiam nos imperasse tibi, ut hac de re ad Regem nostro referres nomine. Modo itaque nostras ei litteras trades, ac instabis, ut earum rationem habeat. Alioqui Rectorem, hæreticorumque fautores nobiles punire cogemur.

Eodem die septimo Maji Amedeo Sabaudix Comiti eisdem propemodum verbis, ut Regi Carolo, scripsit; quibusdam insuper Nobilibus singulatim, ac Delphinatus Præsidi. Misit etiam litteras communes tribus Archiepiscopis Viennæ, Tarentasiæ, ac Ebreduni; & Episcopis Valentix, Vivarii, Gratianopolis, atque Genevæ: commendabat illis Nuncium,

Sæcul. XIV.
A.C. 1375.

n. 14. 15.

n. 16. 17. 18.

Sæcul. XIV. Nuncium, & Inquisitorem; ac præcipie-
 A. C. 1375 bat, ut diocesibus suis denunciandum
 c 15 ext. de curarent anathema in Patarinos, & simi-
 hæret. les hæreticos intortum.

Vad. n. 22. Inquisitores tot hæreticos in his pro-
 vinciiis comprehenderunt, ut Viennæ,
 Ebreduni, & Avenione novos construi
 carceres, captivisque, Inquisitoribus ipsis,
 atque ministris eorum provideri de victu
 opus esset. Pro sustinendis his sumpti-
 bus Papa voluit ex quinque provinciis
 Arelatensi, Aquisextana, Ebredunensi,
 Tarentasina, & Viennensi semel colligi
 quater mille florenos aureos, & quinque
 annis singulis florenos octingentos de re-
 stitutis bonis male partis, legatisque in-
 certis. Ita sonat epistola 17 Junii ad quin-
 que Archiepiscopos, & horum Suffraganeos
 data.

Rayn. 1375. Multos Ruffiæ populos armis subege-
 n. 28. rat Casimirus Poloniæ Rex: cujus suc-
 cessor Ludovicus hac in regione magnam

Dlugos. l. 10. Catholicorum multitudinem habitare au-
 p. 26. diens Avenionem misit legationem sole-
 mnem, quæ a Gregorio peteret, ut Po-
 cutiæ urbem Haliciam episcopatu Leo-
 poli huc translato insignem redderet fa-
 cram metropolim; Volodimiræ vero,
 Chelmi, ac Premisliæ sedes episcopales
 constitueret. Omnia fecit Gregorius.
 Jacobus natione Polonus inauguratus est
 in Archiepiscopum Haliciæ: ubi etiam
 erat

erat Ecclesia ritus Græci, ut adhuc inibi Sæcul. XIV.
 est. Premisiam Papa primum Episco- A. C. 1375.
 pum misit Henricum Fratrem Minorem
 Germanum nobilem, ac virtute prædi-
 tum, qui hanc Ecclesiam in pulchrum
 adduxit ordinem. At eodem tempore, Rayn. n. 30.
 quo Papa Regi Ludovico gratificabatur
 in his episcopatibus decernendis, conque-
 rebatur, quod is ad arbitrium suum sta-
 tueret de sacris dignitatibus, ac benefi-
 ciis, in quæ potestatem plenam a Deo Pa-
 pa obtinuisset. Sic ait Gregorius; &
 hunc agendi modum vocat tyrannidem.

§. XXXVII.

Creantur Cardinales.

Die Jovis 20 Decembris Papa Grego-
 rius Cardinales novem designavit,
 octo Presbyteros, unumque Diaconum.
 Primus erat Petrus Jugius Papæ conso- Vitæ to. 1.
 brinus, tunc Rothomagensis Archiepisco- p. 33. 1130.
 pus, antea Narbonensis, idem, qui an- Sup. lib. 96.
 no 1351 concilium Bliteræ habuit; & §. 7.
 an. 1368 Vaurenfi concilio interfuit. Pa- Sup. §. 7.
 pa Gregorius eum 27 Aug. 1375 Rotho- Vitæ to. 2.
 magum, ac eodem die Joannem Roge- p. 778.
 rium Archiepiscopum Aufcitanum fra-
 trem suum Narbonem transtulerat. Pe-
 trus accepit titulum de S. Clemente: sed
 Narbonensis semper Cardinalis vocatus
 est

Sæcul. XIV. est ob diuturnum illius Ecclesiæ regi-
A.C. 1375. men.

to 1. p. 1134.
Ughel. to. 4.
p. 361.

p. 1141.

Secundus, Simon Bruffanus Medio-
lanensis, utriusque Juris Doctor celeberrimus,
ab anno 1370 Mediolani Archiepiscopus,
postea Papæ a libellis supplicibus, nactus
titulum de SS. Joanne ac Paulo, Medio-
lanensis tamen Cardinalis dictus. Ter-
tius, Hugo Montalanius Brito, vel potius
Andegavus; antea gradatim Chori Præ-
fectus, Decanus, & Archidiaconus Ec-
clesiæ Nannetensis; an. 1354 electus e-
jusdem Episcopus; sed per Papam, qui
eam arbitrio suo reservaverat, ibi collo-
cato Roberto Trecorensi Præsuli suffe-
ctus, anno 1356 Briocas translatus: qua-
rum Antistitem agebat, cum declaratus
est Britanniae Cancellarius, ac dein Car-
dinalis de quatuor Coronatis Martyribus:
sed cognomen traxit a Britannia.

p. 1144.

Quartus, Guido Malesecus, Papæ
propinquus, in Tuteleni natus dioecesi.
Postquam Tolosæ Jus Canonicum tum
didicerat, tum docuerat palam, Sacerdos,
& Vallis Corbariæ ad Narbonensem Ec-
clesiam spectantis Archidiaconus, per Pa-
pam Urbanum V anno 1370 Lutevanus
Episcopus factus, & anno sequente trans-
latus Pictavium erat: cujus nomen ei
adhærebat, cum appellatus esset Cardi-
nalis de S. Cruce in Jerusalem. Quintus,
de S. Marcello Joannes Grangius Pe-
træ

p. 1154.

træ Fiffæ in Rodumnenfi agro, Lugdu- Sæcul. XIV.
A.C. 1375.
 nensique diœcesi natus, Monachus Bene-
 dictinus, Doct̃or Juris pontificii, ab an-
 no 1357 usque ad 1372 Fiscamni Abbas,
 tum Episcopus Ambianensis, & sic cogno-
 minatus ut Cardinalis. Sextus de S.
 Laurentio in *Lucina* Petrus Sortenacius
 in tractu Cadurcensi ortus. Concilio
 Vaurenfi an. 1368 adfuit ut Carmanensis
 ad S. Felicem Decanus Tolosanæ dioece-
 seos. Deinde Auditor litterarum Papæ,
 ab anno 1373 post Bertrandum Castro-
 novinum Vivarii Episcopus inde cogno-
 mentum ut Cardinalis habuit.

p. 1170.

Septimus, Geraldus Podinus Lemo-
 vicensis, Papæ consanguineus, Monachus
 Benedictinus. Anno 1350 Abbas ad S.
 Petrum in Monte dioceeseos Catalaunen-
 sis, anno 1363 Majoris Monasterii Abbas
 creatus; dein a Papa missus in Italiam,
 ut ipsius thesaurum ibi custodiret, ac pen-
 siones e cunctis Ecclesiæ terris collige-
 ret; anno 1362 per Gregorium XI Peru-
 siæ, Patrimonio S. Petri, & aliis quibus-
 dam provinciis præfectus Perusiæ duas
 arces condiderat; in quarum altera ob-
 fidebatur, cum decretæ sibi purpuræ nun-
 cium accepit: nam regiminis sui duri-
 tia plures ei seditiones accersivit. Titu-
 lum de S. Clemente obtinuit demum sub
 finem anni 1376: sed Cardinalis Majoris
 Monasterii nuncupabatur.

p. 1173.

Octavus,

Sæcul. XIV.

A. C. 1376.

p. 1181.

p. 1182.

1193.

p. 977.

p. 434.

Octavus, Joannes Buxerius Burgundio tunc Abbas Cisterciensis. Aberat, cum promoveretur; nec Avenionem attingit nisi ultimo Februarii an. 1376; ibique obiit pridie Nonas Septembres ejusdem anni. Cardinalis nonus, solusque Diaconus fuit Petrus Lunius Arragonius filius Joannis Martini Lunii Baronis de Ilveca, Viri suo tempore celebris. Petrus statura parvus, sed magnus ingenio, Juris pontificii Doctor, ac Ecclesiæ Valentiniæ Præpositus Jus Canonicum Ceserone palam docebat, quando renunciatus est Cardinalis de S. Maria in Cosmedin: magnamque posthæc in Ecclesia personam egit. En novem Cardinales 20 Dec. 1375 nominatos! Debuiſſet horum creatio fieri postero die Veneris: at erat dicatus S. Thomæ; nec admittebat, ut senatus pontificius haberetur.

§. XXXVIII.

Papæ litteræ contra Raymundum Lullum.

Direct. Inquis. p. 311.

Ineunte anno 1376 Gregorius contra errores Raymundi Lulli litteras edidit inscriptas Archiepiscopo Tarraconensi, & Suffraganeis ejus. Ibi ait: Nicolaus Emericus Dominicanus per Arragonium, Valentinum, & Majoricanum regna inquitur

quisitor jam dudum nobis exposuit, se in-
venisse viginti volumina per quendam Sæcul. XIV.
A.C. 1376.
Majoricæ civem Raymundum Lullum
vulgari sermone scripta : ubi sibi visus
esset videre multos errores, ac hæreses
manifestas, quibus tamen aliqui fidem ha-
berent. Tum hos libros per Cardina-
lem Petrum (Estainius erat) Episcopum
Ostiensem, ac plures quam viginti Theo-
logiæ Doctores discuti curavimus : qui
nobis indicarunt se inibi plus ducenta
puncta falsa & hæretica conspexisse.
Igitur, postquam Cardinalis, & Doctores
de iis sæpius inter se, ac denique coram
nobis egerant, ea puncta declaravimus
talia, qualia illi eadem judicarant.

Et quia Inquisitor asseveravit vestra
in regione dari alios libros eodem a Ray-
mundo vulgatos, qui, ut ferret opinio, er-
rata similia continerent : Dominicis ac
festis diebus in omnibus vestrarum dice-
cesium templis curabitis edici, ut, quot-
quot teneant hos libros, intra mensis spa-
tium vobis eos tradant, quos pariter
excutiendos ad nos mittetis. Mox au-
tem cuius hominum generi hanc do-
ctrinam, horumque usum librorum in-
terdicetis, donec Suprema Sedes aliter
statuerit. Dabat 25 Jan. 1376.

§. XXXIX.

T

Histor. Eccles. Tom. XXIV.

Sæcul. XIV.
A. C. 1376.

§. XXXIX.

Gregorii litteræ adversum Florentinos.

Vita. p. 434. Interea Florentini se a Rectoribus per Papas in Italiam missis male accipi perhibentes propemodum cunctas terrarum Ecclesiæ urbes, ac loca induxere ad foedus: idque indicari placuit per vexillum, in quo grandibus litteris scripta erat vox *Libertas*. Ita compararunt exercitum protecturum eos, qui ultro inirent foedus, & illos, qui obsisterent, eo compulsurum. Hoc seditionis consilio statim ecclesiasticum in territorium diffuso Papæ Prætores occisi, aut pulsi turpiter; castella, & arces dirutæ, vel ab aliis perperam occupatæ. Initium Bononiæ factum: Cardinalis Noëlletus ibi habitans ut Papæ Vicarius Generalis captus primum, deinde suis exutus bonis, & abire coactus. Paulo post Perusiæ cives novum Cardinalem Geraldum Podinum iisdem pæne tractarunt modis.

p. 435. Gregorius tristissimo rei nuncio summo opere commotus egit, quæcunque potuit. Contra Florentinos fusas edebat litteras, in quibus eis exprobrat primum ea, quæ an. 1346 fecerant, ut exercitium Inquisitionis constringerent; tum
singu-

Rayn. 1376.

Erzov. eod.

n. 15.

Sup. lib. 95.

§. 35.

singulares quasdam violentias, velut illam, quam nuperrime Cardinali Geraldo Podino intulerant. Addit: Etsi hæc facta erant cognita: inquirere tamen in ea iussimus Cardinalem Petrum (Sortenacium putat) de S. Laurentio in Lucina Presbyterum; qui nos de pervulgata eorum notitia certiores reddidit. Post hæc per litteras 3 Febr. datas Florentinos (scilicet eos, qui Florentiæ a mense Junio prioris anni præfuerant) monuimus, ut a cœptis absterent, & ultimo die Martii coram nobis adessent audituri se incidisse in pœnas ex Jure, ac pristinis sanctionibus nostris constitutas.

Posteaquam se præfixo die non stiterant; eos ut contumaces anathemate, urbem ac diœcesim interdicto perculimus. Insuper omne cum Christianis commercium Florentinis ademimus vetando, nequis hominum eis pecuniam, frumentum, vinum, carnes, lanas, pannos, ligna, vel aliam mercem, aut rem afferret, vel ab illis emeret, aut acciperet: quotquot hanc inhibitionem nostram negligerent, homines anathemate, urbes, aliave loca interdicto multavimus. Præterea Florentiæ Universitatem suppressam, cives & Magistratus omni jurisdictione, cunctis privilegiis, bonisque suis privatos, ipsosque volumus expositos illis, qui eos corripere in servitatem redigendos.

Sæcul. XIV.

A. C. 1376.

Rayn. n. 4.

Sæcul. XIV. dos. Dabat 20 Aprilis Dominica Quasi-
A.C. 1376. modo anno 1376.

Bzov. p. 1535 Secuti quidam effectus notabiles:
multi Florentini, qui Avenione, aliisque
in locis domicilium fixerant, in patriam
redire coacti non sine gravibus damnis:
Vita n. 435. qui erant in Anglia, facti mancipia Regis,
Valsing. & hujus fisco addicta bona eorum o-
an. 1376. mnia. Malebant tamen ærumnas pati,
p. 190. quam se arbitrio Romanorum submitte-
re: ac generatim Florentini neququam
terrebantur censuris pontificiis; sed ve-
hementius incendebantur ad tuendum
sociale foedus: quin etiam in omnem par-
tem spargebant libellos contra Ecclesiam,
& Papæ personam scriptos.

Vita p. 436. Intellexit proin eos haud posse ad of-
1193. ficiam, nisi per vim reduci: & Cardi-
nalem Robertum Genevatem ut Lega-
tum a latere in Italiam misit numerofo
cum exercitu; cui præerant Joannes
Agundus Anglorum Dux, & Joannes
Malestricti Dominus Britonum Præfectus.
p. 447. Robertus in regendas sibi provincias
delatus fortiter agebat, ut conservaret
illos, qui Papæ fideles manserant. Sed
nihil profecit in revocandis ad obsequium
rebellibus, quorum pertinaciam Floren-
tini, & horum focii malitiosis fraudibus
augebant.

§. XL.

Sæcul. XIV.
A.C. 1376.*S. Catharina Senensis.*

Censuras tamen pontificias suo cum exteris commercio officere videntes Florentini se pacem cupere perhibebant: cujus impetrandæ gratia Avenionem miserunt Catharinam Senensem Virginem Religiosam magna sanctitatis estimatione florentem. Anno 1347 in ipsa urbe Senis nata tinctoris filia ætatis anno vigesimo circiter institutum Poenitentium S. Dominici sororum amplexa severas corporis afflictationes continuavit, adauxitque silentium, vigiliis, & jejunia sua, unice ac vix non perpetuo ad precationem intendens animum. Sed servitium ægris quibusdam præstitum si excipiam, de labore manuum, vel alia occupatione externa nullam mentionem video in vitæ historia scripta per Raymundum Capuanum Dominicanum, qui Catharinæ a confessionibus fuit, & postea Ordinis Magister Generalis.

Dubitavit is aliquamdiu (sic fatetur) p. 875. n. 90. de veritate rerum grandium, quas ipsi dicebat tanquam ipso e Christo cognitæ: nec enim alio a Magistro se vitam spiritualem didicisse ajebat. At in hoc dubio, addit Raymundus, cum Catharinam aspicerem, vultum ejus videbam subito

Sæcul. XIV. A. C. 1276. bito mutatum in faciem viri ætate me-
diocri, barba modica, specie tantæ ma-
jestatis plena, ut esse Christum mani-
festo liqueret. Hæc relatio fidem Ray-
mundo demit potius, quam Catharinæ
addit.

p. 881. n. 115. Hæc quodam die visionem habuit, in
qua Christus cum sanctissima matre sua,
multisque aliis Cælitibus comparens so-
lenniter eam sibi despondebat ipsius digi-
to anulum induens aureum margaritis
quatuor, & uno adamante ornatum. Di-
lapsa visione anulus semper in digito
Catharinæ hæsit, at ipsi soli aspectabilis:

p. 894. n. 163. nemo alius eum conspexit unquam. Ita

p. 898. n. 180. se habent reliquæ hujusmodi gratiæ, quas
a Christo nactam se dicebat; veluti

p. 901. n. 191. cum sugeret vulnus lateris; cum ille cor-
suum cum corde ipsius commutaret; de-
nique cum eidem stigmata imprimeret
nemini conspicua. Non ambigo, quin
bona fide crediderit omnia, quæ nar-
rabat. Sed vivida imaginandi vis per
jejunia, & vigiliis accensa magnam ibi
partem habere poterat, præsertim quod
has cogitationes nulla occupatio exterior
dissiparet.

p. 956. n. 419. Talis erat Catharina, cum Florentini
eam legare Avenionem statuerunt. At
ejus nomine præmittebant Raymundum
Capuanum, qui Papæ iram sedaret. Tum
Catharinam Senis ad Florentiæ pomœ-
ria

ria usque accersitam urbis Priores (sic Secul. XIV. A.C. 1376. vocabantur) adibant, orabantque magnopere, ut cum Papa ipsorum pacem coram conficeret. Ibat proin, & Avenionem 18 Junii an. 1376 delata reperit ibi Patrem Raymundum, quo utebatur interprete: nam Papa Latine, ipsa Italiane, nimirum communi Hetruriæ sermone loquebatur. Colloquium Papa finiebat his verbis: Ut videas me velle pacem, simpliciter eam arbitrio permitto tuo: attamen honorem Ecclesiæ tibi commendatum habe!

At Florentini non agebant bona fide. Cum Catharinam rogarent, ut Avenionem peteret, spondebant a se missum iri post eam Oratores, tantum, quæ præscriberet, facturos. Sed mittebant sero admodum: & Papa Catharinæ prædixit, ipsam deceptum iri. Et vero postquam advenerant Oratores, negabant se habere præceptum cum ea conferendi consilia. Supplicabat tamen Gregorio, ut eos indulgenter haberet: suadebat etiam, ut peteret Romam, quod ille fecit: & ipsa rediit in Italiam.

§. XLI.

Wenceslaus Romanorum Rex.

Interim Imperator Carolus IV Wenceslaum suum filium natu majorem quindecim

Sæcul. XIV. A.C. 1376. *Rayn. 1376. n 13 14. Vitæ to. 2. p. 793. Æ. 1199. Æn. Sylv. hist. Boh. c. 33.* decim habentem annos in Regem Romanorum eligi curaturus, hac super re 6 Martii ad Papam scripsit, id se haud posse sine permisso ejus agnoscens. Consensit Papa: & Electores primum Reniam die Pentecostes 1 Junii, tum decimo ejusdem mensis Francofordiam delati Wenceslaum ibi Romanorum Regem cooptarunt allecti pecunia: nam Imperator singulis promiserat centies mille florenos aureos; quos præsentibus solvendo impar oppignoravit eis proventus Imperii; atque sic vires ejusdem fregit, nunquam postea reparatas.

§. XLII.

Papæ iter.

Vit. to. 1. p. 1194. Exeunte Augusto anni 1376 Avenionem profecti Lucas Savellus & quidam alius ut Romanorum Legati supplicabant Gregorio, ut curiam suam transferret Romam, & cum Cardinalibus ibi resideret. Adjungebant: Romani volunt Papam habere Romæ, quia Romanus est Pontifex; & a Christianis omnibus ita vocatur. Ni annuas, Romani, nedubita, sibi providebunt de Papa, qui deinceps Romæ cum ipsis maneat. Cardinalis de S. Petro tum pontificius Romæ Legatus cogebatur Gregorio scribere, nisi quam primum veniret, offensio-
nem

p. 1195.

nem nascituram: & postea rescitum est, *Sæcul. XIV.*
 Romanos in Abbatem Montis Cassini con- *A. C. 1376.*
 jecisse oculos, ut eum facerent antipa-
 pam, illumque consensisse.

Gregorius amissa spe pacis Gallos in- *Froiss. 2. c. 12*
 ter & Anglos conciliandæ, quæ causa,
 vel obtentus itineris dilati erat, ad hoc
 ferio se comparabat; & idem agere Car-
 dinales jussit. Qui ægerrime id ferebant,
 quod Romanos metuerent. Itidem Rex
 Franciæ Carolus molestiam capiebat ex
 rei nuncio: nam commodissimum ei fue-
 rat habere Papam Avenione. Quocir-
 ca fratri suo Ludovico Andegaviæ Duci,
 qui erat Tolosæ, scripsit, ut mox adiret
 Papam, & a consilio discessus abduce-
 ret. Dux Avenione a Cardinalibus ma-
 gno exceptus gaudio habitabat in Papæ
 palatio, quo commodius ei loqueretur.
 Sed perdita omni opera eundem valere
 jubens, Sancte Pater, ajebat; petis re-
 gionem, ubi parum diligeris: atque si
 moreris ibi, quod vero simillimum, Ro-
 mani cunctos Cardinales habebunt in ma-
 nibus, & quem volent, Papam per vim
 facient.

Tandem Idibus Septembris anno *Vita 1. p.*
 1376 Avenione abiit Papa Gregorius re- *438. 1196.*
 linquens tantum sex Cardinales, scilicet *Itiner. ap.*
 Anglicum Grimoardum Albani, Ægidium *Bzov. n. 31.*
 Aiscelinum Tusculi, Joannem Blandia-
 cium Sabinæ Episcopos, Petrum Mon-

Sæcul. XIV. tiracium Presbyterum de S. Anastasia,
A. C. 1376. Guilielmum Chanacium de S. Vitale, ac
 Hugonem Martialifanensem Diaconum
 de S. Maria *in porticu*. Reliqui Cardina-
 les cuncti sequebantur Papam; qui Mas-
 filiaë satis triremium, aliarumque navium
 pro se suoque comitatu invenit. Duo-
 decim ibi dies commoratus inito rursus
 mari ventum principio contrarium habuit.
 Genuam advenit die sabbati S. Lucæ
 anniversario, 18 Octobris, reliquit die
 Mercurii 29 ejusdem mensis. Sed pri-
 die Calendas Novembres in loco, cui
 nomen Portus Delphini, subsistere co-
 actus festo Sanctorum Omnium die sacri-
 ficavit apud novos Eremitas S. Hierony-
 mi, quibus munera dabat & privilegia.
 Cum secunda Novembris esset Dominica,
 officium pro mortuis dilatatum fuit in diem
 proximam: post hanc Gregorius iterum
 conscendit navem.

Die Jovis Pisas delatus magnis ibi
 honoribus & donis ipse Cardinalesque
 affecti sunt. Transactis ibi octo diebus
 Plumbinum, & 16 Nov. Portum Hercu-
 lis petiit. Cardinalis interim Narboneu-
 sis ex fatigatione itineris æger Pisas por-
 tatus die Veneris 21 Novembris ibi vi-
 tam posuit. Is erat Petrus Jugius Papæ
 consobrinus, tunc Rothomagensis Archie-
 piscopus. Humatus primum Pisis, dein
 Narbonem translatus, in magnifico se-
 pulchro

Vita to. 1.
 p. 1133. 155.

pulchro marmoreo, quod sibi conficiendum curaverat, conditus est. Dicebatur ^{Sæcul.XIV.} A.C.1376. testamento statuisse de quingentis mille florenis. Denique Papa Gregorius Castrum Novum attigit die Veneris 5 Decembris; & quinque hebdomades ibi cum sua manebat Curia. ^{Bzov.p.1548}

Interim pro securitate illius pactio- ^{Rayn 1376.} nem cum Romanis conflagravit tres, qui n. 11. Romæ agebant, Cardinales, Petrus Estainius Ostiorum, Petrus Corfinus Romani Portus Episcopi, & Franciscus Thebaldescus de S. Sabina, dictus Cardinalis de S. Petro. Pacta vero erant talia: Romani promittunt fore, ut (quod Papæ Urbano fecerunt) Papæ Gregorio, cum primum Ostia intrarit, plenam & liberam Romæ dominationem deferant; & ab eo tempore Cardinali de S. Petro permittant custodiam, ac præfecturam pontium, portarum, turrium, & totius partis trans Tiberim sitæ. Papa vicissim spondet se conservaturum societatem administrorum justitiæ perficiendæ; ac vult eos consueta stipendia, & emolumenta ex ærario urbis accipere. Additur: Sed Papæ jurabunt fidem: postquam eum Ostia contigisse compererint, e communi domicilio obviam ei procedent: ac post reditum suæ quisque domi habitabunt. Hæc acta sunt 21 Dec. 1376.

§. XLIII.

Sæcul. XIV.
A.C. 1377.

§. XLIII.

Papa Romam intrat.

Itin. Bzov.
Rayn. 1377.
n. 1.

Die Martis 13 Jan. 1377. Castrum Novum reliquit Gregorius, & postridie attigit Ostia Tiberina, quæ Roma duabus leucis, sive sex millibus passuum distant. Die Veneris surrexit media nocte, ac divinum cantabat officium. Post sacrum quievit paulum; dein per sonitum tubæ suos omnes exsuscitari voluit. Reversus in triremem adversum per Tiberim velis, remisque tendebat Romam per totum diem; nec nocte proxima exscendit. Tandem die sabbati 17 Jan. Romam delatus magnis ceremoniis inter omnia lætitiæ signa ibi exceptus est.

Descendit prope templum S. Pauli: quod ingressus aderat sacrificio Episcopi Senogallici. Is erat Petrus Amelinus Brenacius ex dioecesi Alectana, qui hujus itineris Avenione Romam facti commentarium diurnum scripsit. Post rem divinam Papa conscenso equo Romam intrabat stipatus cunctis Cardinalibus, qui erant tredecim numero, scilicet Petrus Corsinus Portuensis Episcopus, Joannes Crocius Prænestinus Antistes, Guilielmus Acrifolius, Franciscus Thebaldescus, Bertrandus Latgerus Glandevanus Præsul, Hugo Morlanus, Simon Bursanus, Guido Male-

Maleficus, Joannes Grangius, Jacobus Sæcul. XIV.
 Ursinus, Guilielmus Noëlletus, Petrus A.C. 1377.

Verrucanus, ac Petrus Lunius. Hos inter comites Papa sequente populo innumerabili totam transibat urbem, ac sub vesperum ad S. Petri basilicam venit: cujus ante frontem expectabatur inter faces plurimas; & accensæ fuerant templi lucernæ omnes, quarum plus octo millia numerabantur. Hunc in modum Gregorius XI intravit Romam: quæ ab illo tempore continua Summorum Præsulum sedes mansit.

Die S. Agnetis 21 Jan. cum luceret, sacrum clausis foribus confecit ad aram S. Petri ante Veronicam, seu veram iconem Christi, quam postea proprio in loco reposuit. Die festo Cathedræ S. Petri 22 Febr. eandem ad aram pontificio ritu sacrificavit: itemque die Paschatis, qui hoc anno 1377 erat vicesimus nonus Martii. Sed die sabbati 16 Maji coepit habitare ad S. Mariæ templum Majus: ac postero die Pentecostes ibi sacris operabatur. Die lunæ Lateranensem S. Joannis basilicam, die Martis ædem S. Pauli adiit. Permansit autem proxime illud templum Marianum usque ad sabbatum post solenne augustissimi Sacramenti, nempe ad 30 Maji.

Sæcul. XIV.
A.C. 1377.

§. XLIV.

Apostolicæ litteræ contra Wicleffum.

Valsing.

p. 191. 203.

to. 11. Cons. 9
p. 2038.

Sup lib. 93.

§. 39.

Inibi Archiepiscopo Cantuariensi, Londonensique Præfuli hæc scribebat: Ut cum dolore audivimus, Joannes Wicleffus Theologiæ Doctor, & Luttermortii Lincolniana in diocesi Parochus publice tueretur, ac e suggestu spargit propositiones falsas, quarum aliquæ congruunt cum erroribus Marsilii Patavini, & Joannis Janduni a Papa Joanne XXII condemnatis. Pudore vos suffundere, & habere anxios debet indulgentia, qua hos errores tolerastis hæctenus. Itaque clam inquiretis, an revera Wicleffus defendere propositiones, quarum exemplaria vobis mittimus. Si ita est: nostra ex auctoritate comprehensum carceri mandabitur petito, si opus fuerit, Magistratus civilis præsidio. Quæstionem de reo habebitis: interrogata, & responsa nobis clausa & obsignata mittetis: & ipsum fida sub custodia detinebitis usque ad novum imperium. Dabat 22 Maji anno 1377.

Huic epistolæ addebat quatuor alias eodem scriptas die. Prima præcipit eisdem Præsulibus, ut Wicleffum capere si nequeant, eum publico edicto jubeant tres intra menses adesse ad Papæ judicium.

cium. Altera vult, ut Regem Eduar-
 dum, liberos ejus, Walliæ Principis Vi-
 duam, ac regni Proceres de re illa edo-
 ceant, hortenturque ad errores junctis
 viribus extirpandos. Tertia Universitati
 Oxoniensi exprobrat negligentiam in re-
 primendis Wicleffi erroribus, imperat-
 que, ut horum progressum sistat, & illum
 corripiat ad duos Præsules mittendum.
 Ultima Regem Eduardum monet, ut his
 Præsulibus ad id negotium manum au-
 xiliarem præbeat.

Sæcul. XIV.
 A. C. 1377.

Missæ his cum litteris propositiones
 Wicleffi sunt undeviginti: apertiores ex
 iis vide! Deus nequit homini pro ipso,
 ac hæredibus ejus dominium civile dare
 in perpetuum. Si datur Deus, Domini
 profani Ecclesiæ nocenti bona fortunæ a-
 dimere legitime ac ita possunt, ut me-
 reantur præmium; & posito casu id de-
 bent fidenter facere, alioquin damnandi.
 Nemo ab Ecclesia abdicari potest, qui
 non ipse prius ab ejus corpore se disjun-
 xerit. Christus discipulis suis non de-
 dit exemplum obnoxios anathemate
 persequendi ob crimen, nedum ob dene-
 gatas res profanas. Papa vel quivis a-
 lius non ligat, aut solvit; nisi quando se
 conformat ad legem Christi. Creden-
 dum est fide catholica, quemlibet Sacer-
 dotem legitime initiatum sufficientem ha-
 bere potestatem conferendi Sacramenta
 omnia

Valsing.
 p. 201. 204.
 Art. 2. p. 242.
 6. 7. 17.

9.
 12.
 15.
 16.

ffum.
 Lon-
 t: Ut
 Wiclef-
 ii Lin-
 e tue-
 tiones
 cum
 annis
 emna-
 abere
 erro-
 m in-
 ende-
 ia vo-
 x au-
 anda-
 atus
 o ha-
 nobis
 m fi-
 d no-
 anno
 alias
 t eis-
 apere
 eant
 judi-
 ium.

Sæcul. XIV. omnia, & proin absolvendi a quacunque
A. C. 1377. noxa hominem affectum eo doloris ge-
 19. nere, quod vocatur contritio. Virum
 ecclesiasticum, Papamque ipsum repre-
 hendere, accusareque legitime possunt
 subjecti, & laici. Punctum postremum
 esse damnandum non video.

Valsing.
 p. 206.

Wicleffus undeviginti propositionum
 suarum explicationem edidit, in qua nul-
 lam recantat, singulas probare studet
 per subtilitates scholasticas ex parte ma-
 xima non minus ipsis propositionibus
 obscuras. Magnopere infectatur domi-
 nium profanum, & sacras proscriptiones,
 quas infirmare conatur.

§. XLV.

*Mors Eduardi III. Richardus II
 Angliæ Rex.*

Valsing.
 p. 192.

Sed antequam Gregorii litteræ in An-
 gliam venire poterant, Rex Eduar-
 dus III orbem totum valere jusserat. De-
 cessit 21 Junii anno 1377, cum regnasset
 annos quinquaginta & unum fere. Ægro-
 tanti semper assidebat nequissima concu-
 bina, quæ miserum a ducenda ratione a-
 nimæ avertebat; & morti proximum
 videns, posteaquam annulos de digitis ejus
 detraxerat, se submovit. Amiserat vo-
 cem Rex, ac sine Sacramentis mortem
 oppe-

oppetiit. Successit ei Richardus II E-Sæcul XIV:
duardi Walliæ Principis priore anno ex- A.C. 1377.
tincti filius duntaxat undecim natus an-
nos. Westmonasterii 16 Julii coronatus
regnabat ductu patru sui Joannis Ducis
Lancastræ.

Archiepiscopus Cantuariæ, ac Londi- *to. II. Conc.*
ni Episcopus acceptis Papæ de Wicleffo *p. 2042.*
litteris Oxoniensis Universitatis Cancel-
lario scripsere, ut cum Theologiæ Pro-
fessoribus probatissima doctrina inclytis
undeviginti propositiones Wicleffi sine
subtilitatibus scholasticis secreto discute-
ret. Nobisque indicabis, adjungit epi-
stola, Collegarum & tuum de illis judi-
cium: Wicleffum vero jubebis se nobis
intra mensem in Londinensi templo S.
Pauli sistere, ut de propositionibus suis
respondeat. Hoc mandatum dabant 18
Dec. 1377. Sed actionem interrumpere
aliquamdiu Papæ obitus, ac regiminis
Anglici mutatio: nam Wicleffum tueban-
tur Dux Lancastræ, ac Henricus Percius
armorum Præfectus primarius.

§. XLVI.

*Papa Gregorius Anagninæ commo-
ratur.*

[Interim |Papa| die sabbati post festum *Vita p. 436.*
sanctissimæ Eucharistiæ 30 Maji Ro-440.
Histor. Eccles. Tom. XXIV. U ma

Sæcul. XIV.**A.C. 1377.**

ma profectus Anagniam 2 Junii advenit; ibique manebat usque ad Nonas Novembres. Hoc iter fecit, ut salubri fruere-
tur cælo, magnosque calores effugeret. Ineunte Septembri erga Christum Patien-
tem, & sanctissimam Virginem pietas
eum sua jussit sancire primum, ut festis
diebus Inventæ, ac Exaltatæ Crucis Do-
minicæ totum de hac officium fieret:
cum antea in utroque festo antelucanas
inter preces solum tres ultimæ lectiones
de illa, sex reliquæ autem de quibusdam
Sanctis, quorum memoria in eos dies in-
cidebat, recitarentur: Petro Amelino E-
piscopo Senogalliæ impositum est munus
componendi pro festis ambobus officii:
quod, quia historiam dubiam memora-
bat, postea correxit Clemens VIII. Dein-
de quod ad Beatissimam Virginem spe-
ctat, Gregorius statuit, ut ejus Natale fe-
stum vigiliam cum jejunio, & liturgiam
propriam haberet, at hæc vigilia non ob-
servatur amplius.

*Gavant. in
Brev. festi. 7.
6. 7.*

Anton. tit. 22**6. 1. 9. 6.****Vad. 1377.****n. 45. &c.**

Illo tempore Fulginia in ecclesiastico
tractu obiit Thomas seu Thomasuccius
Frater tertii Ordinis S. Francisci, parcis-
simo victu, rerum fluxarum, sive que i-
pse contemptu maximo, & vaticinatio-
nis dono illustris. Etiam miracula ei
non pauca tribuuntur: & S. Antoninus
Florentinus ex illis, qui eum viderant,
multa ad ejus vitam pertinentia singil-
latim

latim audiit, ut scribit. Cum ille triennium solitudini mandasset, inde jubente Deo, ut credebat, egressus multos per annos percurrebat urbes Hetruriæ; hortabatur, ut se Papæ rursus submitterent, ac suos corrigerent mores; crebraque ludibria, & injurias invicta patientia perferebat. Tandem 15 Septembris spiritum reddidit annos quinquaginta septem natus.

æcul. XIV.
A.C. 1377.

n. 23.

Nonis Novembris eodem anno Gregorius discessit Anagnia, & septimo ejusdem mensis revenit Romam. Sub anni finem Florentini cum Papa de pace age- re coeperunt suadente Barnaba Mediolanensium Duce. Gregorius ad eam pendebat, profanam in Italia dominationem suam instaurandi spe destitutum se videns: ac Florentinorum belli diuturnitatem fastidientium animos frangebatur Bononiensium cum Papa reconciliatio. Quocirca Oratores Sarzanam legarunt: quo ut Legatum suum Papa Joannem Grangium Cardinalem cognomine Ambianensem, & interim Florentiam misit Sanctam Catharinam Senensem: cui ab infensa plebe ibi periculum vitæ instabat.

Vitæ p. 456.
440.

p. 441. 430.

Leon. Aret.
lib. 8. p. 188.

Vita ap.
Boll. to. II.
p. 957.

Sæcul. XIV.
A.C. 1378.

§. XLVII.

Gregorius XI cbit.

Vita PP.

p. 441. 442.

1201. 1202.

Rayn. 1378.

n. 2.

Hoc dum negotium geritur, Papam interea morbus corripuit Nonis Februarii an. 1378. A juventute sua imbecillus, & incommoda usus valetudine, tamen si nondum quadraginta sex annos compleverat, acerbis calculi doloribus discruciabatur. In periculo se videns 19 Martii edebat litteras, in quibus ait: Si decessus noster fiat ante Calendas Septembris, Cardinales, qui Romæ aderunt, non accitis, aut expectatis absentibus, intra vel extra urbem situm, quem volent, locum, destinabunt ad ineunda suffragia; poteruntque longius, breviusve tempus absentibus præfinire, intra quod adveniant ante conclavis ingressum: immo etiam si hoc non intrent, poterunt cooptare Papam: qui, si puncta partis majoris tulerit, agnoscetur, etsi pars minor repugnet. Monemus simul, ut Deo rationem vocis suæ reddituros se cogitent, Pastorem dignum eligant, & supra memorata quam celerrime exequantur.

Septembrem designabat Gregorius: quia tunc Avenionem, si viveret, reverti statuerat. At Deus id non permisit: sed ille Romæ obiit 27 Martii anno 1378. Cadaver ejus primo portatum in Vaticanam

canam basilicam, ubi iusta ei funebria solenniter solvebantur; postmodum ad S. Mariæ templum Novum, unde titulum acceperat ut Cardinalis, ibique sepultum est. Sederat septem annis, duobus mensibus, & viginti septem diebus. Multum amabat propinquos, patrem, fratresque ac nepotes suos, & in statu, ad quem patruus ipsius Clemens VI eos evexerat, conservabat. Habebat illos apud se; multaque iis suadentibus, aut eorum causa faciebat maxime in promovendis hominibus, quibus doctiores, probioresque inveniri poterant. Singularem tamen benevolentiam complectebatur viros litteratos; quorum multos coævos in gradibus dignitatum posuit.

Sæcul. XIV.
A.C. 1378.

Papebr. com.
p. 94.

Romæ tunc agebant sexdecim Cardinales, Petrus Corsinus Portuensis episcopus, dictus Cardinalis Florentinus; Joannes Crosius Prænestinensis Præsul, vocatus Cardinalis Lemovicensis; Guilielmus Acrifolius; Bertrandus Latgerus ex Ordine Minorum cognomine Glandevanus; Robertus Genevas; Hugo Montalanius seu Morlanus nomen nactus a Britannia; Guido Malesecus appellatus Pictaviensis; Petrus Sortenacius cognomento Vivariensis; Franciscus Thebaldescus nominatus Cardinalis de S. Petro; Simon Brussanus nuncupatus Mediola-

Alta ap. Papebr. p. 95.

Rayn. n. 78.

Duboulay to. 4. p. 482.

Secul. XIV.
A.C. 1378.
Sup. §. 42. diolanensis; Geraldus Podinus cognominatus ex Majore Monasterio; Jacobus Ursinus; Petrus Flandrinus; Guilielmus Noëlletus; Petrus Verrucanus; ac Petrus Lunius. En versantes Romæ sexdecim Cardinales! Sex Avenione remanserant, Anglicus Grimoardus Albani, Ægidius Aiscelinus Tusculi, Joannes Blandiacius Sabinæ Antistites, Petrus Montiracius, Guilielmus Chanacius, & Hugo Martialifanensis: Joannes Grangius agnomine Ambianensis tunc legatione fungebatur in Hetruria. Erant omnino viginti tres Cardinales.

Sup. lib. 26.
§. 45.

Qui Romæ aderant, accersitos ad se Senatorem, ac reliquos Primores urbis jusserunt jurare observationem illius de conclavi sanctionis *Ubi periculum*, vicique ac palatii Vaticani, ubi conclave habendum esset, fidelem custodiam, ac defensionem ab omni violentia. Sed e S. Mariæ templo Novo, ubi Papa Gregorius modo terræ mandabatur, nondum abierant Cardinales: cum civitatis Administratores eis exposuere sequentia:

§. XLVIII.

Romanorum postulatio.

Diurnam Papparum per absentiam defloruit Roma, & universa pæne Italia. Romana templa, unde titulos Cardinales

dinales obtinent, atque palatia corrue- Sæcul. XIV.
 runt magna hospitem offensione toto ex A. C. 1378.
 orbe Christiano pietatis causa venientium.
 His malis afferri remedium haud po-
 test certius, quam assidua Papæ, & Car-
 dinalium præsentia in loco, ubi sacram
 sedem Deus ipse constituit; & ubi Su-
 premi Antistites omnes usque ad Cle-
 mentem V residebant. Ex illo tempore
 non abfuerunt, nisi quia Galli erant vel
 transmontani, majoremque patriæ, quam
 dignitatis suæ, ac divini nutus ratio-
 nem ducebant. Hæc Paparum absentia
 seditionis ansam præbuit urbibus & lo-
 cis provinciæ, quæ vetus Ecclesiæ Ro-
 manæ patrimonium est; cujus populi a
 Prætoribus exteris vexati & oppressi tur-
 bas & bella commoverunt tanta, ut Ec-
 clesia suis ex possessionibus parum emo-
 lumentum caperet. E contrario eas tuen-
 di gratia thesauros omnium orbis Eccle-
 siarum sumptibus collectos ita consum-
 psit, ut exhausta modo magnam in con-
 temptionem venerit. Finiebant Roma-
 ni efflictim orando, ut Cardinales in præ-
 sens Italum eligerent Papam.

Reponebant se daturos Ecclesiæ Pa-
 storem, quem revera idoneum crederent
 sine respectu nationis, aut personæ. Tum Vita. p. 464.
 conclavi providebant de custodia; quæ 1207. 1237.
 spectabat ad Petrum Crosium Arelaten-
 sem Archiepiscopum, tanquam Ecclesiæ

Secul. XIV. Romanæ Cubicularium. Sed tumultum
A. C. 1378. inter Romanos coeptum veritus, Castel-
 lo S. Angeli se includere statuit; & Gui-
 lielmum Voltanum Massiliensem Episco-
 pum rogavit, ut ipsius loco custodiam
 conclavis in se susciperet. Nec erat
 abs re Cubicularii metus. Nam Romani
 dimissis ex urbe cunctis Nobilibus, qui
 continere populum potuissent, accitos e
 vicinia multos rusticos feroces, ac inhu-
 manos (Montani vocabantur) ad pon-
 tium, & portarum custodiam adhibebant,
 ut ne Cardinales exire Roma possent.

Papebr. p. 96
n. 6. Antequam conclave intrarent, inita,
 quem in Papam eligerent, consultatione
 ne Galli quidem concordabant. Lemo-
 vices alium, alium reliqui volebant: hoc
 solum convenit inter Gallos omnes, ut ne
 aliquem de Cardinalibus Italis coopta-
 rent; qui, cum essent tantum quatuor,
 vincere nequirent. Hi quatuor cupie-
 bant Italum: nec poterant inducere ani-
 mum, ut Gallum eligerent. Demum
 Cardinales Galli Lemovicibus adverfi
 cooptare potius Italum, quam Lemovi-
 cem cum Italis decernebant, dicentes
 palam, totum orbem cepisse satietatem
 nationis hujus, quæ tamdiu possedisset
 pontificatum quasi hæreditarium. Ergo
 Lemovices inter se statuebant eligere Ita-
 lum Romana purpura non conspicuum;
 & proponebant Archiepiscopum Baria-
 num.

num. Sperabant enim fore, ut Cardinales Itali in eum potius, quam in Gallum aliquem consentirent, ac reliqui acquiescerent propterea, quod esset Vir doctissimus; diu Avenione in stylo Romanæ curiæ probe exercitatus: natusque Neapoli subjecta ditioni Joannæ Principis magno Cardinalium favore florentis. Fama hujus optionis prius emanavit, quam in conclavi agerent.

Sæcul.XIV.
A.C.1378.

n. 8.

§. XLIX.

Eligitur Urbanus VI.

Omnes sexdecim hoc intrarunt 7 Aprilis die Mercurii ante sacra Ramalia: moxque vesperi clauso, & custodiis munito conclavi Cardinales Acrifolius ac Pictaviensis, quod de Archiepiscopo Bariano statuerant, Cardinali de S. Petro indicarunt. Cum hic & Mediolanensis cum illis consentirent, numeratis suffragiis videbant se habere duas eorum partes tertias. Postero die Jovis 8 Aprilis Cardinales convenerunt in sacellum conclavis adhuc bene custoditi: & cum Liturgiæ de Spiritu Sancto ex more adfuissent, post modicam deliberationem Cardinalis Acrifolius, O Domini! ajebat: jam confideamus! mox Papam habebimus: non dubito. Cardinalis Ursinus cupiebat rem ducere longius; &

n. 9.

n. 10.

U 5

cla-

Sæcul. XIV. clamantem populum, qui Papam patria
A.C. 1378. Romanum volebat, decepturus, Accer-
 samus, ajebat, Fratrum Minorum ali-
 quem: ornemus eum trabea, mitraque
 pontificia, & fingamus electum: postea
 hinc abeamus: alibique alium cooptabi-
 mus. Nimirum populus ante Vaticanum
 palatium conclavis locum congregatus
 Italice clamabat: *Romano lo volemo: Ro-*
manum volumus.

Ursinus consilium suum rejectum vi-
 dens, reliquis suadebat, ut Cardinalem
 de S. Petro patria Romanum deligerent.
 At Cardinalis Lemovicensis reposuit:
 Revera est Vir sanctus: sed duo dantur
 obstacula. Diceremur forsitan eum coo-
 ptasse tanquam Romanum, ut populi cla-
 moribus obsequeremur: præterea est
 infirmus nimium, & impar oneri ponti-
 ficatus. Cardinalis Florentinus habet
 patriam Ecclesiæ Romanæ inimicam.
 Cardinalis Mediolanensis solum natale
 tenet tyrannus Barnabas obstinatus Ec-
 clesiæ hostis. Cardinalis Ursinus est pa-
 riter Romanus, fautor partium, & junior,
 quam ut Præsulem Supremum agat.
 Ita Cardinalis Lemovicensis quatuor Car-
 dinales Italos dignitate summa exclu-
 debat.

n. 12.

Deinde coram omnibus, qui erant in
 conclavi, dicebat: In Papam præcise, ac
 libere deligo Dominum Bartholomæum
 Archie-

Archiepiscopum Barianum. Illico plus Sæcul. XIV.
 duæ tertiæ partes Cardinalium eundem A. C. 1378.
 cooptabant: quod videns Florentinus il-
 lis accessit, probe clauso adhuc conclavi.
 Tum consultatum, an protinus promul-
 ganda esset electio? Placebat hoc fieri
 post prandium. Scilicet electus Papa ab-
 erat a palatio: atque si absens jam indi-
 caretur populo, timebatur, nequa contu-
 melia in eum utpote non Romanum in-
 ter viam jaceretur. Itaque cum multis
 Præsulibus Italis Romæ agentibus ac-
 ciebatur sub obtentu gravium Ecclesiæ
 negotiorum. Venerunt omnes; & in
 palatio sumebant prandium, sed extra
 conclave, in quo prandebant Cardinales.

Sublata mensa iterarunt Archiepisco-
 pi Bariani electionem majoris securitatis
 gratia, & ut clarius monstrarent illam esse
 liberam. Interim coeptus in populum
 diffundi rumor, electum jam esse Papam.
 Clamabat igitur, & rogabat ejus patriam
 ac nomen. Massiliensis Episcopus con-
 clavis custodiæ præfectus reposuit: A-
 dite templum S. Petri! & cognoscetis.
 Haud recte audierant quidam, ædemque
 Cardinalis de S. Petro adire se jussos, &
 hunc esse Papam rati convolabant ad e-
 jus domicilium, & supellectilem inde ali-
 quam auferebant ex pravo more spolian-
 di domum recentis Papæ in signum
 lætitiæ. Cum autem non promulgaretur

#. 13.

#. 14.

#. 16.

tur

Sæcul. XIV. tur electio, populum haberi ludibrio non-
A.C. 1378. nulli suspicabantur eo facilius, quod con-
 clave ex parte recluderetur ad asportan-
 da vasa argentea, cæteraque utensilia
 Cardinalium. Quocirca quidam de po-
 pulo aperta conclavis janua eo intrarunt,
 ne Cardinales exirent antefactam, de-
 nunciatamque electionem.

n. 15.

Sed Cardinales cisalpini a conspecto
 in conclavi populo sibi magnopere timen-
 tes propterea, quod non cooptassent Ro-
 manum, Cardinalem de S. Petro indu-
 xere, ut se indui ornatu pontificio sine-
 ret. Proinde illum populus ut Papam
 venerabatur. Hunc inter tumultum e
 palatio domos suas abibant Cardinales
 omnes excepto illo unico: qui diserte
 aiebat: Non sum Papa: nec esse antipa-
 pa volo: electus est Archiepiscopus Ba-
 rianus, qui præstat mihi. Sed populum
 metuentes ob adhibitam fabulam Cardi-
 nales ædibus non fidebant suis: sex in
 castellum S. Angeli, quatuor in varias ex-
 tra Romam arces se recipiebant: cæ-
 teri quinque manebant suis in domibus.

n. 16.

Postero die Veneris 9 Aprilis novus
 Papa suatore Cardinali de S. Petro, qui-
 cum noctem in palatio egerat, sui electio-
 nem indicavit civitatis Administratori-
 bus: qui contentissimi veniebant, ut de-
 bitam Papæ reverentiam præstarent. Sed
 hanc abnuens ille adhuc Archiepiscopus
 dici

dici Barianus voluit. Eodem die mane Sæcul. XIV.
A.C. 1378.
 quinque Cardinales, qui suis in domici-
 liis permanferant, honorifica ei suffragia
 gratulantes instabant, ut acquiesceret,
 suadebantque, ut illos sex, qui hæerent
 in castello S. Angeli, accerseret, quo plu-
 res ipsum in sede Apostolica collocarent.
 Rogatu Senatoris, Præfectorumque ur-
 banorum illi e castello in palatium delati
 cum quinque cæteris ibi electionem ite-
 rum majoris securitatis causa repetie-
 runt.

§. L.

*Urbanus VI in folio supremo po-
 nitur.*

Cum dein Archiepiscopum inter se con-
 fidere jussissent, Cardinalis Florenti-
 nus eorum Decanus fermone habito, ex
 formula illum oravit, ut consentiret. An-
 nuit; & cantato S. Ambrosii hymno im-
 ponitur folio: rogatur, quod velit no-
 men: Urbanum se nuncupat: salutatur
 Papa: Cardinalis Verrucanus e fenestra
 clamat: Annuncio vobis gaudium ma-
 gnum: habemus Papam, qui se nominat
 Urbanum sextum. Die sabbati 10 Apri-
 lis novus Papa his undecim Cardinalibus,
 & Ursino, qui Romam redierat, stipatus
 descendit in basilicam Vaticanam: ubi
 ponti-

#. 18.

#. 19.

#. 20.

Sæcul. XIV. pontificia in cathedra principem ad aram
A.C. 1378. confidenti venerationem Canonici suam
 exhibebant. Canebatur solenniter hymnus Ambrosianus: Papa sacro privato intererat: tum fausta precatione populum prosequabatur in loco, ubi Gregorius XI id facere consueverat.

Th. schism.
c. 1.

Papa Urbanus VI, dictus antea Bartholomæus Prignanus Neapoli patre Pisano, matre Neapolitana ortus, erat celebris Juris Canonici Doctor, modestus, pius, a studio sui commodi alienus, mercatus sacrilegi hostis acerrimus, castitatis, & justitiæ fervidus cultor: sed plus æquo nitebatur sua prudentia; & adulatoribus nimis faciles præbebat aures.

Ughel. to. 7.
p. 911.

Homines doctos, probosque amavit ingenue, ac pro viribus iuvit. Cum verfaretur Avenione, multa curiæ Romanæ munera obibat, agebatque multos per annos Cognitorem gratiarum singularium. Quotidianus victor, & a facello erat Cardinali Pompejopolitano Petro Montiracio Pro-Cancellario; quo absente tabulario sanctiori præerat. Renunciatus Acherontiæ Archiepiscopus, dein anno 1376 Barium translatus, nunquam ibi adfuisse videtur. Sacrificabat quotidie: diu noctuque gerebat cilicium: præter jejunia præcepta per hebdomades anniversariam Christi nascentis memoriam præcurrentes, & a Dominica, quæ Se-

Vita FP.
p. 934. 938.

xage-

xagesimæ nomen habet, tolerabat in-
 diam. Quovis vespere, postquam cubi-
 tum ierat, curabat sacras sibi litteras
 legi, donec obdormisceret: ac nullum
 perdebat tempus. Erat crassus, ore
 fusco, statura brevi, & sexaginta circi-
 ter annos natus, quando in Papam ele-
 ctus est.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1378.

Undecimo Aprilis Urbanus VI inter
 Cardinales, Præsules, aliosque palmarum,
 & olivarum ramos distribuit ex more Pa-
 parum. Postridie sacrum funebre ritu
 solemni fieri iussit pro anima Gregorii XI
 antecessoris sui. Sequenti biduo cun-
 ctis Cardinalibus stipatus exiit, ut popu-
 lo, ac peregrinis religionis causa Romam
 delatis noxarum veniam largiretur. Die
 sacro coenæ Domini anathemata dixit
 assistente Cardinalium Collegio, accensos
 cereos pro more tenentium. Anniver-
 saria orbis redempti die interfuit officio
 divino in facello suo, & adoravit Cru-
 cem singulis cum Cardinalibus. Sabba-
 to sancto adfuit officio, & consecrationi
 cerei paschatis. Hanc totam per hebdo-
 madem præsentem Papa diversi Cardina-
 les rem divinam fecere: ac singulorum
 nomina memorantur.

Papebr. p. 93
 n. 21.

Sæcul. XIV.
A.C. 1378.

§. LI.

Urbanus coronatur.

n. 22.

Die Paschatis 18 Aprilis Papa Urbanus solemniter & omnibus cum ceremoniis convenientibus coronatus est coram universo populo, & magna piorum peregrinantium multitudine. Aderant cuncti sexdecim Cardinales: redierant enim Romam, qui discesserant: cuncti per trimestre spatium consueta illi officia præstare, ac plane cum eo, tanquam verocum Papa vivere pergebant. Postridie impositam illi coronam 19 Aprilis agentes Romæ sexdecim Cardinales sex reliquis Avenione hærentibus scribebant hunc in modum: Ut probe sciatis ea, quæ Romæ facta sunt, nec habeatis fidem illis, qui rem vobis aliter indicarunt, accipite, quæ nunciamus! Post obitum Papæ Gregorii XI septimo mensis hujus conclave ingressi postridie mane sub horam tertiam (vulgo nonam) concorditer, ac libere in Papam cooptavimus Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barianum, electumque declaravimus præsentis populo numerosissimo. Post bidduum Papa novus publice collocatus in solio nomen Urbani, ac die Paschatis coronam solemniter accepit ritu. Huic epistolæ sua nomina subscribebant omnes sexdecim

Rayn. 1378.
n. 19.

decim Cardinales. Sex Avenionenses in responso suo Urbanum agnoscebant Papam: & Cardinalis Ambianensis a sua per Hetruriam legatione Romam profectus, & 25 Aprilis exceptus in senatu pontificio ut Legatus Urbanum salutavit Summum Pontificem. Ita hic diserte fuit agnitus ab omnibus viginti tribus, qui tum sacrum componebant Collegium.

Verum secunda die Paschatis, postquam cantui vespertinarum precum in majore palatii sui sacello interfuerat, Episcopos, qui eo venerant, palam objurgare coepit, esse omnes perjuros dicens, quippe qui suas reliquissent Ecclesias, ut in ipsius curia residerent. Silebant cuncti; præterquam Martinus Episcopus Pompejopolitanus, Papæ a libellis supplicibus, Catalanus, clarusque Doctor Juris Canonici, quod Avenione diu docuerat. Is Papæ respondit: Non sum perjurus: nec privatæ, sed publicæ utilitatis causa in curia verfor, paratus inde ad Ecclesiam reverti meam. Ita carpebat clanculum increpantis imprudentiam.

Sequente die lunæ senatum habebat publicum, cui Cardinales, Præsules, ac Romanæ curiæ Ministri magno numero intererant. Instituens sermonem in hesternum Evangelium de pastore bono rursus Cardinalium, Præsulumque mores castigabat asperius. Improbabant hoc illi,

Hist. Eccles. Tom. XXIV. X ac

Sæcul. XIV.

A.C. 1378.

Papebr. n. 25

Th. c. 4.

c. 5.

Sæcul.XIV. ac præterea non magnopere curabant:
A.C.1378. sic Urbanum reddebant odiosum incon-
 sulta hæc monita, & nihil aliud efficie-
 bant. Sub idem tempus, cum ærarii A-
 postolici minister e provincia quadam ve-
 niens collectos nummos pauculos illi at-
 tulisset, homini dixit hæc S. Petri ad
Act.c.8.v.20. Simonem verba: *Pecunia tua tecum sit*
in perditionem! nec accepit. In dies sin-
 gulos agebat multa similia: quæ animos
 ab eo alienabant.

§. LII.

Cardinales Anagninæ commorantur.

Th. c.7. Sub medium Majum Cardinales Papæ
 infensi relicta, ubi hic adhuc erat, Ro-
 ma Campaniæ urbem Anagniam petie-
 runt: obtentum eis præbuerat fuga calo-
 rum, qui tunc Romæ invalescunt. Pau-
 cis post diebus Papa Cardinales contra
 se conspirasse audiens factam eis abeundi
 copiam dolebat: & quod se illos redu-
 cturum ad officium speraret, Roma sexto
Vita to. 1. Calendas Julii Tibur fere in medio Ro-
p. 464. mam inter & Anagniam situm profectus
 quatuor circiter menses ibidem mansit.
 Interim Cardinales Avenionenses eum
Marten.the- agnoscebant Papam. Etenim, cum Pe-
faur. to. 2. trus Gandelinus Nobilis Gallus commis-
p. 1073. sum sibi castellum S. Angeli Papæ Urba-
 no injussu horum Cardinalium cedere
 recusa-

recusaret, tertio Julii ei scribebant, ut si-
ne mora hunc locum Urbano tanquam
Papæ, vel cui is vellet, traderet: se sub
ejus potestate obedienter, ac fideliter, ut
par esset, vivere.

Longe aliter loquebantur Cardinales
hærentes Anagninæ. Perhibebant ele-
ctionem Urbani esse nullam, ut quæ fa-
cta esset per violentiam; nec recepisse li-
bertatem se suam, nisi postquam Roma
exiissent. Illam conservandi gratia, &
ut se tutos præstarent, Petrum Crosium
Archiepiscopum Arelatensem Ecclesiæ
Romanæ Cubicularium jubebant induce-
re Bernardum Salium Vasconem Ducem
militum, ut ex Viterbii vicinia, ubi age-
ret, cum suis abiret ad tuendum sacrum
Collegium. Bernardo præter Romam
incedenti occurrens in armis magna Ro-
manorum turba transitum pontis volebat
præcludere. At ille profligatos in fugam
vertit quingentis circiter cæsis, captisque
plurimis. Sic transgressus pontem, A-
nagniam venit.

Fugitivi deinde Romam clamoribus,
ac tumultu implebant: & cladem ulturi
suam non dubitabant ministros aulæ, cu-
riæque Romanæ, maxime cisalpinos, re-
spectu sui transmontanos invadere; nullo
dignitatis, sexus, aut ætatis discrimine;
iplos Episcopos expilare, in carcerem
mittere, ac multis mensibus ibi detinere.

X 2

Quæ

Sæcul. XIV.

A.C. 1378.

Vitæ PP. to.

2. p. 814.

Rayn. 1378.

n. 24.

Vitæ. to. I.

p. 464.

Th. c. 13.

c. 14.

Sæcul XIV. Quæ Aulicorum Papæ infectatio Romæ
A.C. 1378. durabat diu: soli Germani, quam extra-
 nei reliqui minus vexabantur.

Duboulay
to. 4 p. 466.

Vit. to. 1.
p. 1015.
Dubou. ead.
p. 466.

Interim Cardinales Anagnini Univer-
 sitatis Parisinæ Rectori, ac Doctoribus
 scribebant in hanc sententiam: Ad Re-
 gem mittimus Nicolaum Saturninofa-
 nensem Magistrum Palatii, & inclytum
 Theologiæ Doctorem, penitus edoctum
 nostram mentem de rebus difficillimis, &
 quæ maximo momento sunt ad religio-
 nem, & statum Ecclesiæ. Oramus
 proin, ut benevole audito tantundem fi-
 dei, quantum nobismet, habeatis. Da-
 bant Idibus Julii. Qui epistolam ferebat,
 Doctor fuit ab anno 1372 Dominicanorum
 per Franciam Magister Provincia-
 lis, postmodum Romana donatus pur-
 pura.

Quæ fuerint hæc ponderosa negotia,
 docet Marsilius Inghenius vetus Univer-
 sitatis Parisinæ Rector in litteris ad il-
 lum 7 Julii Tibure, ubi Papa erat, scriptis.
 Meo iudicio, inquit, Ecclesia centum ab
 annis non fuit in tanto schismatis pericu-
 lo, quantum ei nunc impendet. Papa
 hoc in loco residet cum Cardinalibus Ita-
 lis: reliqui numero tredecim Anagninæ
 hærent: prioresque, populus Romanus,
 & maxima Italiæ pars dicuntur Urbanum
 agnoscere Papam verum, ac legitimum.
 At tredecim Cardinales perhibent con-
 trarium,

trarium, scilicet electionem esse nullam Sæcul. XIV.
 ob violentiam Romanorum, quæ ipsis A.C. 1378.
 libertatem ademerit. Corporum custo-
 des sibi Britones ascivere, aliosque mili-
 tes, qui reapse nunc Anagninæ sunt, & in
 via magnam Romanorum multitudinem
 necarunt. Quocirca quotquot Romæ a-
 gebant, Galli fuere in discrimine; ma-
 ctati plurimi: nec multum aberat, quin
 exteri omnes trucidarentur. Haud con-
 stat, quos ad usus adhibere has copias
 Cardinales velint. Quidam ajunt, eos
 denuo in suffragia ituros a Cardinalibus
 Tiburtinis, ut venirent Anagniam popo-
 scisse. Rogo itaque, ut de voluntate me
 tua certiolem reddas: hic enim magno
 in periculo versor, nec sum ferendo sum-
 ptui, quem facio. Quæris, Ecquid no-
 vi? Nihil boni audio; nisi quod heri Pa-
 pa in senatu publico rata habuerit Ele-
 ctorum suffragia Regem Germaniæ coo-
 ptantium; eumque declaraverit futurum
 Imperatorem, etsi Legatus Imperii hanc
 ob rem nullus advenerit. Cæterum Re-
 gina Siciliæ bis mille hastatos equites,
 ac pedites centum, qui Papam tuerentur,
 misit. Intra dies octo Romam reditu-
 rum ferunt.

Rex Germanorum, seu Romanorum
 potius, cujus electionem Papa modo con-
 firmabat, erat adolescens Wenceslaus, *Sup. §. 41.*
 quem suus pater, Imperator Carolus IV

Sæcul. XIV. duos abhinc annos eligendum curaverat
A. C. 1378. annuente Papa Gregorio. Qui ut ele-
 ctionem etiam ratam faceret, rogatus, id
 distulit variis sub obtentibus, & interim
 decessit. E contrario Papa Urbanus, ut
 sibi contra seditionem Cardinalium Im-
 peratoris auxilium compararet, suffragia
 comprobavit ultro: eodemque tempore
 juncta cum Florentinis pace, irrogatas eis
 censuras omnes sustulit.

Vita p. 1264
Th. N. c. 15.

§. LIII.

*Cardinales Urbano adversantur
palam.*

Cardinales Anagninenses, cum contra
 Urbanum vias Juris aliquas tentas-
 sent, illius adversarios aperte se professi
 sunt 9 Aug. 1378. Eo die per Jacobum
 Ittum Italum Constantinopolis Patriar-
 cham honorarium in primario Anagninæ
 templo & liturgiam de Spiritu Sancto
 solenniter peragi, & postea sermonem di-
 ci curaverant: quo finito legi per Cleri-
 cum voluere suum scriptum contra Ur-
 banum. Plura illius exemplaria inve-
 niuntur: singulorum frons exhibet no-
 mina duodecim Cardinalium, undecim
 Gallorum, ac Petri Lunii Hispani. In-
 scriptiones sunt diversæ: habeturque una
 Christianis facta omnibus.

Vita to. 1.
p. 456. 123.

Vita to. 2.
p. 822.

Post-

Postquam ibi Cardinales tumultum se in conclavi hærentibus Romæ commotum exposuere, addunt: Proinde ut nobis imminens mortis periculum evitemus, in Papam eligendum nobis Archiepiscopum Barianum duximus haud dubitantes, quin hanc videns violentiam religioni haberet accipere pontificatum. At ille suæ salutis immemor, & ambitione flagrans consensit in electionem quam ex ipso Jure nullam: & durante semper eodem metu impositus solio, atque coronatus Papæ nomen assumpsit, potius apostata, vel antichristus vocari meritus.

Post expectationem longam, & benigna sine arbitris monita cum ad se non redeat; hanc orbis Christiani offensionem salva fide diutius ferendo impares hunc iniquum pontificatus possessorem tanquam intrusum denunciamus execratione devinctum: & vos monemus, ne pareatis ei, vel ullo modo adhæreatis: quia eum jam per alias litteras patentes admonuimus, sicut per has præsentis iterum hortamur, ut Apostolicam relinquat sedem; summi pontificatus insignia, ac Ecclesiæ Romanæ administrationem in rebus sacris & profanis deponat; Deoque, ac Ecclesiæ per veram pœnitentiam satisfaciat. Alioqui contra eum omne præsidium divinum, humanumque implora-

Sæcul. XIV.

A.C. 1378.

Duboulay
to. 2. p. 468.

Sæcul. XIV. A.C. 1378. plorabimus, cæteraque remedia canonica adhibebimus. Dabamus Anagninæ, quam elegimus tanquam locum tutiorem, & ad omnia memorata magis idoneum ob virtutem ac fidelitatem magnifici Domini Honorati Cajetani Fundorum Comitum, ac Rectoris provinciæ. Defecerat ab Urbano: quia is hanc præfecturam Thomæ Severinofanensi ejus inimico tradere voluerat. Hæc declaratio invenitur inscripta ipsi Papæ Urbano mutatis solum verbis necessario mutandis.

Duboulat
p. 467.

Valsing.
p. 416.

§. LIV.

Eligitur Clemens VII.

Vita to. 1.
p. 477.

1034

p. 478. 488.
1237.

Sexto Calendas Septembris anno 1378 Cardinales Galli Anagnina venerunt Fundos: quæ Campaniæ urbs Honorato ut Domino subjecta suo viginti septem millibus passuum, seu novem leucis Anagnina distabat Neapolim versus, & prope Cajetam sita. Fundos itidem se contulerunt Cardinales Itali, nempe Florentinus, Mediolanensis, & Urfinus: quartus de S. Petro Romæ manebat æger, ibique obiit die Lunæ 6 Septembris. Quindecim illi Cardinales convenere in Fundinum palatium Comitum; sacramque sedem esse vacuam perhibentes vigesimo ejusdem mensis Papam elegerunt e suo numero, Robertum Genevatem Cardinalem

nalem Presbyterum de duodecim Aposto- Sæcul. XIV.
 lis. Tres Itali se submoverunt statim post A.C. 1378.
 electionem: quæ postero die S. Matthæi
 promulgata fuit: & novus Papa voluit
 nuncupari Clemens VII.

Fuerat, ut dixi, Canonicus Parisinus, Sup. §. 20.
 Episcopus Tervanus, postea Cameracen-
 sis, & anno 1371 per Gregorium XI Ro-
 mana ornatus purpura: nec tamen ma-
 jor annis triginta sex, cum electus est in
 Papam; sed ob hanc ipsam ætatem suam. Rayn. 1376.
 Videbatur enim tanto plus animi, & n. 8.
 virium habiturus ad jura sua contra Ur-
 banum tuenda: neque carebat experien-
 tia, per biennium legatione functus in
 terris Ecclesiæ Romanæ. Præterea ex
 nobilitate sui generis spectabatur, om-
 nes propemodum magnos Principes
 Christianos cognatione, aut affinitate con-
 tingens.

§. LV.

Urbanus novos Cardinales creat.

Papa Urbanus a cunctis Cardinalibus,
 quin etiam a parte Ministrorum aulæ
 seu curiæ suæ desertum se doluit non si-
 ne profusis lacrymis; ac præcipitem a-
 gendi rationem suam agnoscere pergebat.
 Ut eam compensaret, Aulicis se suis Th. n. 22.
 præbuit benigniorem; multaque mune-
 nera, quæ tum vacabant, contulit. Præ-
 terea

Sæcul. XIV. terea die sabbati 18 Sept. Cardinales de-
A.C. 1378. crevit. Solus cubiculo inclusus suo scri-
Vitæ p. 478. bebat nomina viginti novem Cardina-
489. 1239. lium: apertis dein foribus suis, pulfato-
 que tintinnabulo, quotquot ingredi vo-
 lebant, admisit. Volo, ajebat, Cardina-
 les facere: cumque ministrum a secretis
 legere illorum nomina jussisset, sermonem
 hac de re habuit: dignitatem accepere
 viginti sex: ac tres recusarunt.

Vitæ p. 1240 Priorum notissimi sunt octo. Bona-
86. ventura Patavinus ex Ordine S. Augu-
 stini Cardinalis Presbyter de S. Cæcilia.
 Nicolaus Mesquinus ex Ordine S. Do-
 minici per regnum Neapolitanum Inqui-
 sitor, Cardinalis Presbyter de S. Cyriaco.
 Joannes Archiepiscopus Corcyræus Car-
 dinalis Presbyter de S. Sabina. Renul-
 phus Montiracius Cardinalis Pompejopo-
 litani nepos, in Universitate Cesseronia
 Juris Canonici Doctor, ex Canonico Tor-
 nacensi Segesteronis Episcopus ab anno
 1370; postquam in Papam electum fuis-
 se Archiepiscopum Barianum Cardinalis
 patru sui amicum audiit, delatus Ro-
 mam, & ab illo Cardinalis ipse, patruque
 sui sanctiore in tabulario Romano Vica-
 rius designatus.

Quintus, Philippus Alenconius in
 Francia regii sanguinis Princeps, Philippi
 Audacis pronepos, anno 1356 electus E-
 piscopus Bellovacensis, post triennium
 trans-

translatus Rothomagum, sed opera Ca-
 roli V, cujus in offensionem incurrerat,
 a Gregorio XI anno 1370 renunciatus
 Hierosolymæ Patriarcha honorarius, post
 quadriennium auctus administratione Au-
 scensis Ecclesiæ; cum Romam profe-
 ctus Urbano se addixisset, declaratus ab
 eo Cardinalis Presbyter de S. Maria trans
 Tiberim. Sextus, Agapitus Columnius,
 qui renuerat primum, ac ne Romam qui-
 dem Zagaruolo, ubi erat, venire vo-
 luerat; non quod Urbanum non agnosce-
 ret verum Papam; sed quia metuebat
 odiosos effectus nascentis schismatis, vi-
 vere tranquille cupiens. Cessit tamen
 urgenti familiæ suæ: ac egerat Bono-
 niensem Archidiaconum, tum Episcopum
 Brixianum, dein Ulyssipponensem. No-
 minatus est Cardinalis Presbyter de S.
 Prisca.

Septimus, Pilus Pratius Concordiæ
 in agro Forojulienfi natus, primum Tar-
 visinus Episcopus, anno 1359 Patavium,
 & anno sequente Ravennam ab Urba-
 no V translatus, modo Cardinalis Pres-
 byter de S. Praxede. Octavus, Galiotus
 Tarlatus de Petra Mala, Aretinus, ex Ar-
 chigrammateo Apostolico Cardinalis Dia-
 conus de S. Agatha.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1378.

p. 1247.

Ughel.

Vita. p. 1359
 1363.

§. LVI.

Sæcul. XIV.
A. C. 1378.

§. LVI.

Clementem agnoscit Francia.

Duboulay
p. 523.

511 9

p. 480.

p. 480.

Interim Rex Franciæ Carolus V per plures nuncios compertis iis, quæ in electione Urbani contigerant, sub medium Augustum excepit duos Cardinalium Legatos, Famagustanum Episcopum, & Nicolaum Saturninofanensem sacri Magistrum palatii, qui electionis tempore Romæ adfuerant. Regem de violentia illic tunc adhibita edocere iussi ferebant Cardinalium litteras, quarum testimonio fides sibi plenior haberetur; & in quibus Regem efflictim orabant Cardinales, ut ab ipsis staret contra Barianum Archiepiscopum, ac suam de hac re mentem declararet. Rex hoc in negotio circumspeditione utendum ratus in octavam Septembris convocavit quamplurimos regni sui Præsules, Virosque doctos. Venerunt Archiepiscopi sex, triginta Episcopi, permulti Abbates, & Doctores Theologiæ, ac Juris. Congregatis Carolus exposuit ea, quæ hac de re tum ex Legatis Cardinalium, tum ex aliis cognoverat, petiitque consilium. Post examen longum major, & sanior pars censebat æquiores esse causas Cardinalium; suadebat tamen, ut Rex nondum nactus promissam litis formam cunctaretur suam aperire

aperire animum, ne tanto in negotio pro-
perare nimium videretur. Atque ita Sæcul. XIV.
A. C. 1378.
Rex Legatis publice respondit per Joa-
nem Fabrum Attrebatensem ad S. Veda-
fti Abbatem, Doctorem Juris Canonici,
Carnutensem postea Episcopum.

Minister a secretis, quem Rex ad Car-
dinales miserat, ineunte Octobri retulit
tres patentes litteras eorum sigillis mu-
nitas: quas ut illi postulaverant, promul-
gari passus Rex nondum sensus patefecit
suos. Tandem sub initium Novembris
certo comperit Cardinalis Genevatis ele-
ctionem Avenionensium sex Cardinalium
consensu firmatam. Sic novus Papa Cle-
mens sua scribebat manu: sic testaban-
tur litteræ Cardinalium: quorum Lega-
ti Parisiis adhuc agentes instabant Regi,
ut animi sensa indicaret. Tum is Præ-
sules, & Clericos, suos Consiliarios, alios-
que Nobiles Lutetiæ commorantes in
nemus Vincennianum accersit; & sin-
gulos jurejurando adstrictos voluit, ut
sine partium studio sibi consilium darent.
Suadebant cuncti, ut sine dilatione par-
tes Clementis susciperet, cujus electio-
nem reputarent canonicam: Urbano au-
tem nullum jus obvenisse a suffragiis per
vim extortis. Itaque Rex Idibus No-
vembris statuit Clementem agnoscere
Papam.

p. 524.

At

Sæcul. XIV.

A.C. 1378.

Conc. to. II.

p. 2048.

At Urbanus, antequam id scire poterat, nempe 21 ejusdem mensis ad Universitatem Parisinam, cujus auctoritatem noverat, dedit epistolam, in qua cumulatam laudibus hortatur, & obsecrat, ut ipsius causam, cujus æquitas lateret neminem, porro defendat contra illos, qui schisma in Ecclesiam vellent inducere.

§. LVII.

Urbani litteræ contra Clementem.

p. 2045.

Rayn. 1378.
n. 105.

Eodem tempore Urbanus Archiepiscopo Coloniensi, & Suffraganeis ejus inscripsit litteras, quarum hæc erat summa: Cardinales Robertus Genevas, Joannes Grangius, Geraldus Podinus, ac Petrus Flandrinus Ecclesiam lacerare, cæterosque secum trahere in perniciem conati nos in se animadvertere coegerunt. Post conspirationes contra nos factas nostra urbe Anagnia, Romano S. Angeli castello, pluribusque aliis Ecclesiæ Romanæ locis occupatis collegerunt magnam multitudinem armatorum Britonum, Vasconumque, qui plurimas cædes, direptiones, & sacrilegia perpetrarunt. Nos sperantes fore, ut resipiscerent, eos sæpius per tres Cardinales, Virosque alios auctoritate graves, quin etiam per litteras nostras admonuimus. Sed non dubitarunt famam nostram scrip-
ptis

ptis libellis lædere, hos ad multos Præ-
 fules, Principesque mittere, ac nos ve-
 rum Papam inficiari: quamvis nos iidem
 ipsi elegerint, imposuerint folio, corona-
 verint, ut Papam per plures menses co-
 luerint, nobiscum solemnibus sacris, &
 senatibus interfuerint, a nobis Sacramen-
 ta, & beneficia pro se aliisque accepe-
 rint.

Denique, Fundis cum essent, cum
 quibusdam aliis, quos corruperant, anti-
 papam elegerunt Robertum Genevatem,
 qui se dicere Papam audet. Adhæc Pe-
 trus Archiepiscopus Arelatensis, & no-
 ster Cubicularius Roma, ubi nobiscum e-
 rat, furtim abiit, asportans plurimos or-
 natus gemmeos, aureosque, ac pretio-
 sam conclavis nostri supellectilem; & A-
 nagniam se contulit ad illos quatuor Car-
 dinales. Tum Papa nominat multos
 Præfules conjurationis socios; inter alios
 Jacobum Constantinopolis Patriarcham,
 & Nicolaum Consentinum Archiepisco-
 pum. Honoratum quoque Fundorum,
 & Antonium Casertæ Comites, aliosque
 Optimates laicos nominatim memorat,
 quos apposuisse sibi calumnias, & antipa-
 pæ adhæsisse ait. Cunctos pariter con-
 demnans denunciatur coetu piorum motos
 ob schisma, hæresim, læsam majestatem,
 ac desertam religionem. Privatos Ro-
 mana purpura, & qualibet dignitate sa-
 cra

Sæcul. XIV.
 A.C. 1378.

Sæcul. XIV. **A.C. 1378.** cra, profanaque declarat omnibus cum
 clausulis ad censuras severissimas pro sty-
 lo sæculi adjungi solitis. Hæ litteræ pri-
 mum Romæ promulgatæ sunt 6 Nov.
 1378. Sed continent dilationem usque
 ad vigesimam nonam ejusdem mensis:
 qua cum non adessent, ut sperandi non
 erant; pronunciati contumaces; censu-
 ræ confirmatæ sunt, & iterum aggra-
 vatæ.

Rayn. n. 112.

§. LVIII.

*Mors Caroli IV. Wenceslaus
 Imperator.*

Alb. Argent. **in fi.** Eodem die tertio Calendas Decembres
 obiit Imperator Carolus IV, & Pra-
 gæ sepultus est in templo S. Wenceslai.
 Vixerat annos 63, regnaverat duos ac
 triginta. Filios reliquit duos, Wences-
 laum successorem in Bohemia, & titulo
 Regis Romanorum, ac Sigismundum, qui
 postea fuit Imperator. Wenceslaus man-
 sit addictus Papæ Urbano, exemplum pa-
 tris secutus sui.

Trith. chr.
Hirs.

Vita p. 190.

Interim Clemens paulo post sui ele-
 ctionem, ut hujus æquitatem monstra-
 ret, ac rationibus suis consulere, ad Re-
 ges Christiani orbis Legatos misit, &
 Nuncios; scilicet ad Regem Franciæ
 Joannem Crosum Cardinalem Episco-
 pum

pum Prænestinum; ad Imperatorem, in Sæcul. XIV.
 Germaniam, & Bohemiam Guilieumum A. C. 1378.
 Acrifolium itidem Cardinalem; ad Re-
 gem Angliæ, in Brabantiam, Flandriam,
 Belgiumque reliquum Cardinalem Gui-
 donem Malesecum; in Hispaniam Car-
 dinalem Petrum Lunium.

§. LIX.

Cardinales Clementini.

Ut suppleret horum absentiam, & suffi-
 cientem numerum Cardinalium sem-
 per apud se haberet, Fundis adhuc com-
 morans die Veneris 18 Decembris sex
 creavit novos. Primus erat Jacobus Itrius
 Campanus, factus primum Esulanus in
 regno Neapolitano Episcopus, deinde an-
 no 1359 Martoranius in Calabria, anno
 1363 Archiepiscopus Hydruntinus, anno
 1376 Constantinopolis Patriarcha hono-
 rarius per Gregorium XI; qui ei admi-
 nistrandam reliquit Hydruntinam Eccle-
 siam, & ut Patriarchæ dedit Vicarium
 Antoninum * Sagittarium ex Ordine Mi-
 norum Archiepiscopum Atheniensem.
 Secundus, Petrus Amelius Arvernus Mo-
 nachus Benedictinus, & tunc Archiepi-
 scopus Ebredunensis, quod ei nomen ad-
 hæsit, quanquam titulum nacto a S. Ma-
 ria trans Tiberim. Tertius, Nicolaus
 Brancacius Neapolitanus Papæ Urbani
Hist. Eccles. Tom. XXIV. Y cognat-

p. 1249.

* Arbelè-
trier.

p. 1252.

p. 1256.

Sæcul. XIV. cognatus, primum Neapoli Canonicus,
A. C. 1378. Doctor Juris Civilis, & Cognitor causa-
 rum palatii Apostolici; an. 1347. ab Ur-
 bano V nominatus Archiepiscopus Ba-
 rianus; & post decem circiter annos
 translatus Consentiam; Reginae Neapo-
 lis Joannæ Consiliarius, novum Papam
 Urbanum ejus nomine salutatum mis-
 sus; sed posthabita cognatione Clemen-
 ti deditus, vocatusque Cardinalis Con-
 sentinus.

* de la Bar-
 riere.

p. 1260.

Quartus, Petrus * Obicius natus in
 Ruthenenfi diœcesi, Doctor Juris, & ma-
 gna eruditionis fama florens, ab an. 1377
 Augustodunensis Episcopus, cum obla-
 tam sibi ab Urbano VI purpuram recu-
 fasset, quod ejus electionem non esse ca-
 nonicam crederet, a Clemente titulum
 templi SS. Petri, & Marcellini, sed, quia
 Parisiis erat, ibi petasum 4 Maji anno pro-
 ximo in præsentia Regis adeptus. Quint-
 us, Nicolaus Saturninofanensis Domini-
 canus, cujus memini, Cardinalis de S.
 Martino in Montibus. Sextus, Leonar-
 dus Geophanius Italus Minorum Ordinis
 Minister Generalis, qui ab Urbano VI
 Romanæ Curiae Patribus adscribi pari-
 ter noluerat. En sex Cardinales a Cle-
 mente renunciatos mense Decembri an-
 no 1378.

§. LX.

Sæcul. XIV.
A. C. 1378.*Cordubensis Episcopus a Clementinis
capitur.*

In principio sequentis anni Papa Urbanus tres Cardinales Italos, Petrum Corsinum Portuensem Episcopum, Simonem Mediolanensem, Jacobumque Ursinum per litteras ad se reducere tentavit: nam ab eo disjunxerant se quidem; sed non transferant ad Clementem. Respondebant: Sanctissime Pater! Accepimus epistolam tuam e manu Raynaldi Ursini: & audivimus ea, quæ cum Episcopo Brixiano nobis exposuit. His aperuimus nostros sensus de convocatione concilii ad finiendum schisma, & pacandam Ecclesiam: & quæ tibi tres Auditores nostri hac de re dixerint, ea ut credas, oramus. Dabant Taleacotii 17 Januar. Quem Concilium approbasset, Papam agnoscere cogitabant hi Cardinales: ut docet Ursini declaratio Idibus Augusti anno eodem facta, quo is obiit. At Clementini abnuebant concilium: & hæc periclitatum quidem nullum effectum habuit.

*Rayn. 1379.
n. I.*

Papa Urbanus missum a se ad Petrum Arragoniæ Regem Cordubensem Episcopum Menendum Cordulam a Clementi-

Y 2

nis

Sæcul. XIV.
A. C. 1279.

nis in itinere captum illi conquerebatur per epistolam 27 Jan. 1279. scriptam in hunc modum: Episcopus Cordubensis a Curia Romana nuperrime abiit nostras ferens litteras, quibus tuam implorabamus opem ad medendum malis Ecclesiam, & nos speciatim prementibus. Hic Præsul in Romano portu conscenso lembo incidit in Cardinalem Lunium ab Antipapa cum sociis missum: qui comprehenso ereptas litteras nostras dilacerabant minimas in particulas sine respectu tuæ Majestatis, cui erant inscriptæ, constrictumque vinculis, ac piratæ Petro Bernardo Catalano traditum Fundos, ubi Antichristus residet, miserunt: ibique duro in carcere detinetur. Papa orat Regem, ut Antistitem liberandum curet. Tum addit:

Ut autem te boni juris nostri strenue convincamus, per Petrum Martinum stipatorem nostrum tibi mittimus exemplaria litterarum Imperatoris Caroli modo extincti, ac Wenceslai, quem genuit, Regis, opusque Joannis Lignani eximii Doctoris Bononiæ. Denique rogat Regem, ut Cardinalem Petrum Lunium Antipapæ nuncium a quolibet regni sui aditu arceat; atque si forte hoc intrasset, captum fida in custodia teneat. Rex
Arra-

Arragonum haud videtur has Papæ literas respexisse: & Cordubensis Episcopus Fundis captivus hæsit usque ad Novembrem, quo invenit effugium. Partibus Urbani ob hanc ærumnam videbatur Martyr, & præclaram virtutis, ac scientiæ famam colligebat. Papa Urbanus fuit, qui eam ex Ordine Minorum Cordubensem ad mitram evocavit.

Sæcul. XIV.
A. C. 1379.

Vitæ to. I.
p. 1281.
1462.

Henricus Castiliæ Rex, cum a Cardinalibus electo primum Urbano, deserto postea, & impugnato susceptum Clementem audiisset, anxia mente, utrius causa æquior esset, dubitabat, magnos Doctores in contrarias de hac re sententias distractos videns: tandem statuit neutrius esse partis, ut in facti veritatem inquirere posset liberius. Hoc in statu decessit die Dominica 29 Maji an. 1379, ætatis 46; postquam Joannem filium, & successorem suum monuerat, ne facile partes susciperet in Ecclesiæ schismate. Rex Joannes coronatus est Burgis: ubi hac occasione solemnem conventum habuit collectum ex Episcopis, Nobilibus, magnoque numero Doctorum utriusque Juris. Tractabatur ibi schisma: quo accurate discusso Rex patris sui exemplo medias amplexus partes, ut posset, quid se agere conveniret, decernere, ad duos electos

Mariana
lib. 18. c. 2.

Sæcul. XIV. ctos Romam, & Avenionem Legatos mi-
 A. C. 1379. sit, qui veritatem facti, cum hujus me-
 moria esset recens, perquirerent, ac sibi
 declararent.

§ LXI.

Clemens Avenionem petit.

Vita to. 1.
p. 493.

Th. Niem.
c. 6.

Vita p. 472.
494. 1268.

Relictis interea Fundis Clemens cum
 sua Curia Speluncam Cajetanæ dice-
 cesis oppidulum adiit: unde paulo post
 cum aliquot Cardinalibus Neapolim pro-
 fectum Regina Joanna honorifice ibi re-
 cepit. Summum initio gaudium præ se
 tulerat de cooptatione Urbani suo in re-
 gno nati; & quadragies mille nummos
 aureos (ducatos vocant) aliaque dona
 magnifica ei miserat: sed electionem Cle-
 mentis edocta mutato consilio in omni-
 bus terris suis hunc agnosci Papam jubebat
 per patentes litteras 20 Nov. 1378 scri-
 ptas. Ægerrime id ferebant plerique
 Neapolitani; Urbanoque populari suo
 addicti permanebant. Clementem igitur
 Neapolim delatum tam male accepit
 populus, ut ille cum suis Cardinalibus
 arcem Reginæ sedem Ovum nomine co-
 actus ingredi, ne ibi quidem securum se
 videret, gnarus sibi ab Urbano vincula
 destinari. Revera eodem tempore, ni-
 mirum 18 Maji Papa Urbanus edebat lit-
 teras

teras, per quas volebat in regno Neapo-
litano contra Clementem, atque fauto-
res ejus sacrum cani classicum, sponderi-
que noxarum veniam concessam peten-
tibus Palæstinam. Neque tamen ma-
gnum res effectum habuit.

Idcirco Clemens statuit in Galliam se
recipere, ubi Regis, cæterorumque Prin-
cipum sibi deditorum præsidio frueretur:
& fortuito nactus triremes, navesque alias
mense Majo anno 1379 mari se commisit
una cum suis Cardinalibus, præter Jaco-
bum Itrium, ac Leonardum Geophanium,
quos in Italia reliquit suis rationibus con-
sulturos. Post navigationem non parum
periculosam 10 Junii Massiliam attigit:
& transactis ibi quatuordecim diebus
Avenionem delatum solemnissimo ritu,
& ingenti gaudio excipiebant omnes in-
colæ; præsertim quinque Cardinales,
qui post Gregorii abitum ibi remanse-
rant: nam sextus, Ægidius Aisselinus
obierat 5 Dec. priore anno. Hi sex Car-
dinales jam decreverant agnoscere Cle-
mentem.

Is haud multo post litteras dabat Pa-
risinam ad Universitatem, quæ paulo an-
te se partibus ejus adjunxerat: quod ita
factum. Rex Carolus V Vincennis 20

Y 4

Maji

Sæcul. XIV.
A. C. 1379.

Rayn. n. 282

Vitæ p. 495.

p. 1252.

p. 957.

Dubulai.
p. 566.

Sæcul. XIV.
A. C. 1379.

p. 573.

Maji Universitati scripsit, ut secundum habitas deliberationes Clementem VII declararet legitimum Papam. Universitas post multos conventus hac de re actos, die lunæ tertio Calendas Junias misit Rectorem cum designatis sociis: qui venerunt in elatiorem castelli Vincenniani partem tecto impositam, ubi aderant cum Rege quatuor Cardinales, Lemovicensis, Acrifolius, Pictaviensis, & Augustodunensis, Dux Andegaviæ frater Regis, Carolus Navarræ Regis filius natu major, Comes Harcurtius, multique alii Optimates, ac Equites; insuper quatuor Episcopi, nempe Laudunensis, Parisinus, Bellovacensis, & Sarlatinus. Simon Freronus Theologiæ Professor totius Universitatis nomine loquens denunciabat eam adhærere Clementi VII tanquam legitimo Papæ. Attamen e quatuor nationibus, quæ facultatem Artium componunt, duæ neutri favebant parti, scilicet Picarda, & Anglica: duæ reliquæ, Gallica, & Normanna se conformabant ad exemplum trium Facultatum superiorum, Theologiæ, ac Medicæ. Hanc igitur declarationem nactus Clemens Universitati per epistolam gratias egit, suasitque, ut ipsi obnoxia firmiter persisteret, & conatibus Urbani fortiter obstaret. Dabat 26 Julii.

p. 778.

Post-

Postquam Avenione confederat, Rex ^{Sæcul. XIV.}
 Carolus V eum vehementer adjuvans ^{A. C. 1379.}
 omnes fere Principes, ac Republicas ab Urbanis
 Urbano stantes per Legatos monuit, ut ^{Vitæ p. 495.}
 ne præoccupari animos suos sinerent,
 sed patienter auscultarent ea, quæ pro
 Clemente dicerentur. At plerique Cle-
 mentis nuncios non audire modo, sed &
 suas in terras admittere recusabant. Er-
 go vi utendum ratus Clemens suis inter
 Italos fautoribus militem, ac pecuniam
 pro viribus mittebat suis. Nec sacra
 omisit arma; & vicissim litteras contra
 Urbanum edidit. Et vero pari facilita-
 te poterant scribere, fulminare, ac se mu-
 tuis onerare conviciis, ac execratio-
 nibus.

§. LXII.

Tristes schismatis effectus.

At hic agendi modus juvabat nihil, sed
 magis inflammavit schisma, & innu-
 mera invexit mala. Clementini multos
 Urbano submissos Præsules, Sacerdotes,
 aliosque Clericos mari vel terra facientes ^{Th. Niem.}
 iter capere, vexare, submergere, combu- ^{c. 19.}
 rere, aliove crudeli necis genere afficere
 non verebantur. Per vim occupatæ ab
 illis multæ urbes, castella, pagique in re-
 gno Neapolitano & in terris Romano

Sæcul. XIV. Pontifici subjectis: Ecclesiæ, ac coeno-
 A. C. 1379. bia multa everfa: multa suis privata ju-
 ribus; ne cædes, direptiones, cæteraque
 crimina recenseamus.

Vita p. 496. Haud melius Urbanus Clementinos ha-
 buit. Exagitabat eos tam atrociter, seu
 personas, seu bona iis propria spectem, ut
 ad Clementem confugere, ac subsidia
 vitæ ab eo petere cogerentur. Nec is
 plene illis satisfacere poterat præ pau-
 citate regionum sibi obsequentium; præ-
 terquam, quod multis sumptibus aliis
 ferendis impar esset. Ita horum Cle-
 mentinorum permultis, qui spectati, &
 opulenti fuerant, vita sua finienda fuit
 in paupertate ac miseria. Quorum ex-
 emplo territi haud pauci alii, ut in pri-
 mo statu suo se conservarent, agnoscere
 Urbanum malebant, bonaque ab eo, ac
 honores accipere, quamvis Clementem
 crederent verum Papam. Alii stude-
 bant ab ambobus consequi dignitates, ac
 beneficia; & largiori denique se addice-
 bant, an potestatem dandi haberet, non
 solliciti. Multi demum pretio obedien-
 tiam vendebant suam, ut beneficia pro
 se vel aliis impetrarent: unde factum,
 ut indigni promoverentur: eademque
 mala utrinque regnabant.

Urba-

Urbano parcebant pars maxima Italia; Anglia, Germania, ubi eum Rex Wenceslaus diserte agnoscebat, obnoxia eidem Bohemia, Belgii pars major, & Hungaria: cujus Regem Ludovicum arctius sibi obstricturus Papa Urbanus hoc anno 1379 Cardinales creavit duos Hungaros, nempe Demetrium Strigoniensem Archiepiscopum, & Valentinum Antistitem Quinque Ecclesiarum: huic templum S. Sufannæ, illi ædem Quatuor Coronatorum assignavit. In Wenceslai gratiam Bohemum quoque Oczkium Olomutii Præsulem decrevit Cardinalem de duodecim Apostolis.

Sæcul. XIV.
A. C. 1379.

§. LXIII.

S. Catharinæ Senensis obitus.

Promulgata Florentiæ pace, quam Urbanus ei reddiderat, S. Catharina Senensis inde rediit suum ad cœnobium: ubi se occupabat dictando arcana cœlestia, nimirum ea, quæ loquebatur rapta in excessum mentis, & ab usu sensuum abstracta: sed quæ Italice proferebat, Latine scribebantur. Tum Papa Urbanus, qui Avenione agens illam noverat, & magni faciebat, Raymundum Capuanum

num

Sæcul. XIV.
A. C. 1379.

num, quem ei a confessionibus esse sciebat, per litteras iussit eidem dicere, ut adiret Papam. Raymundo protinus obtemperanti reposuit illa: Mi Pater! Multos homines, quin etiam sorores nostras offendunt crebra itinera mea, etsi non meo facta vitio credam. Itaque si Papa me ad se venire omnino velit, da operam, ut voluntas ejus scripta compareat! Scribendam curavit Papa: & Catharina Romam petiit. Adesse illam magnopere gaudens Urbanus cupiebat, ut coram Cardinalibus verba faceret præsertim de schismate tunc fieri coepto. Paruit; & Cardinales ad constantiam hortans Papæ adeo satisfecit, ut & magnum Viraginis animum extolleret, & Cardinales ob angustias pectoris in ruborem daret. Paucis post dimissam Virginem diebus Papæ in mentem venit, ut ad Reginam Neapolis palam rebellem duas mitteret Catharinas, Senensem, ac Suecam S. Birgittæ filiam tunc Romæ versantem. At Pater Raymundus neutiquam exponendas censuit injuriis saltem ipsarum famæ nocituris. Cui Senensis: Si Sanctæ Margarita, & Agnes ita cogitassent, nunquam accepissent coronam martyrii. Urbanus tamen iter hoc suppressit Raymundo assentiens; & statuit hunc Virum mittere ad Regem Gallorum Carolum

rolum a Clementis partibus abducen- Sæcul. XIV.
dum. A. C. 1379.

Interim S. Catharina Senensis pro Ur- Rayn. 1380.
bano in omnem scribebat partem. Jam n. 55.
inde a principio schismatis ad tres Cardi- Epist. 31.
nales Italos Clementis electioni affines
misit litteras, ubi eos a capite sejuncta
membra, & carne indutos dæmones ap-
pellabat. Sic etiam cunctos Clementis Epist. 96.
electores vocabat in epistola ad Reginam Rayn. 1379.
Joannam, & in alia ad Regem Franciæ n. 49. Id.
data 6 Maji an. 1379. Denique sequen- 1380. n. 5.
te anno ad Carolum de Pace perscripsit in- Epist. 195.
citamenta belli contra schismaticos: quod
quidem Sancta dignum haud videtur.

Post discessum Arbitri suæ conscien- Boll. p. 910.
tiæ hærebat Romæ; ubi sacris ejus pre- n. 344.
cibus tribuebantur palmæ geminæ, quas
Urbanus de Clementinis retulit eodem
die 30 Aprilis anno 1379. Prior erat
expugnatio castelli S. Angeli, quod Galli Th. Niem.
tenuerant fere totum per annum obsessi: c. 20.
qui eventus Papæ Urbano dedit liberta-
tem Vaticano in palatio habitandi: si-
cut fecit. Victoriam alteram Comiti
Alberico Barbiano cessere Vascones, Bri-
tonesque, qui campos compleverant
pro Clementinis partibus militantes. S.
Catharina Senensis unico superstes an-
no

Sæcul. XIV. no Romæ obiit tertio Calendas Maji, tan-
A. C. 1379. tum triginta tres annos habens, sed con-
 sumpta infirmitatibus, doloribusque acci-
 tis per jejunia, vigiliis, cæterasque
 corporis afflictationes præter continuam
 animi contentionem, moeroremque, quo
 eam conficiebat tristis Ecclesiæ sta-
 tus. Anno 1461 post mortem suam
 octogesimo primo per Papam Pium II
 inter Cælites numerata
 fuit.



HISTO.